MATRIMONIJ VALOR A FRANCORUM OPPUGNATIONIBUS VENDICATUS...

Francesco Salerno

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
6 G
46

17

13 – 24. C. 40.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Dom. Prof. Rom.

MATRIMONII VALOR A FRANCORVM OPPVGNATIONIBVS VENDICATVS.

AVCTORE FRANCISCO SALERNO SICVLO DOCT. Theol. ac I.C. Canonico Panormitano, ac Prot. Apoſt.



Anno 1636.

Cum Priuilegio, Matriti apud viduam Ildephonſi Martin.

VITTORIO ... IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI,
D. Gaſpari Guzmanio, Comiti Oliuarenſi, Duci de San-Lucar, Marchioni de Liche, Magno Indiarum Cancellario, Philippi Quarti Catholici Regis Conſiliario Belli, Statuſque, Summo regiorum equorum Præfecto, Hiſpaniarum Magnati,
&c.

FRANCISCVS SALERNVS S.P.D.

AVSTRIACA Domus, Excellẽtiſsime Princeps, verè Catholica, verè pia, tuetur præ cæteris ſummã Eccleſiæ, eiuſque Capitis poteſtatem. Filippo Magno Auſtriaco, Hiſpaniarum, ac meæ Siciliæ Regi, vti in reliquis, ita & in hac cura, tu indefeſſam operam nauas. Tutatur hæc mea diſceptatio (non pro dignitate, fateor) ius Eccleſiæ proprium, ea decernendi coniugiorum impedimenta, quæ *Dirimentia* viri Docti indigitarunt. Hominem ergo pro Eccleſiæ iure propugnantem in tuam ſeſe committere clientelam, decet ſaltem, ni etiam oportet. Sub tuis igitur auſpicijs in lucem prodeat hocce qualecumque ingenij mei, meæque in te obſeruantiæ tenue monumentum. Faxit Deus, vt non ſolum tibi, quę

tua humanitas eſt,hęc mea lucubratio accepta ſit; ſed exemplo quoque pręeat Doctioribus, ipſique rauco tenuis meæ tubę ſono,claſsicovè velut excitati, vti veterani,ſtrenuique Eccleſię milites, eius cauſam acerrimè,maioribuſque,quam ego,viribus tueantur. Vale,Excellentiſsime Princeps, Deuſq; immortalis diù te ſeruet incolumem Chriſtianæ Reip.bono.Matriti Kalendis Nouembris 1635.

IVDI-

Digitized by Google

IVDICIVM

R. P. GASPARIS HVRTADO è Societate Ieſu, Doctoris Theologi Complutenſis, & Supremæ S. Generalis Inquiſitionis Qualificatoris: olim in Academia Complutenſi Artium liberalium publici profeſſoris, & Collegæ D. Ildephonſi, & in Collegio Complutenſi Societatis Ieſu Primarij S. Theologiæ Profeſſoris, &c.

IVſſu, & authoritate D. Laurentij Iturriçarra, Vicarij Generalis Matriti, vidi opus, cui titulus eſt, *Matrimonij valor à Francorũ oppugnationibus vendicatus, Auctore D. Franciſco Salerno Siculo Doctore Theologo, ac Iuriſconſulto, Canonico Panormitano, ac Protonotario Apoſtolico* elaboratum, & in eo nihil cenſoria nota dignum reperi; potius omnia ſanæ doctrinæ conſona: opus verè eruditum, doctum, & graue: viro Theologo, & Iuriſperito dignum, & vt in communem vtilitatem typis mandetur. Datum in hoc noſtro Collegio Imperiali Societatis Ieſu Matriti die decima Ianuarij ann. 1636.

Gaſpar Hurtado.

Digitized by Google

IVDICIVM

R. P. HIERONYMI FERNANDEZ
de Salcedo, Clericorum Regularium Minorum
Prouincialis, ac Supremæ S. Generalis
Inquiſitionis Qualificato-
ris, &c.

DIſceptationem iſtã (cui titulus eſt, *Ma-*
trimonij valor à Francorum oppugna-
tronibus vendicatus, Authore Franciſco Saler-
no Siculo Doctore Teologo, ac I. C. Canonico
Panormitano, & Prot. Apoſt.) ex commiſsio-
ne Supremi Caſtellæ Senatus attenta animi
conſideratione legi, & in ea Catholicæ Fidei,
bonis moribus, aut Chriſtianæ polyticæ diſ-
ſonum animaduerti nihil: immo Author, vir
verè doctus, recta methodo, ſtylo facili, pro
Sacramenti Matrimonij valore, pro iure Ec-
cleſiaſticæ authoritatis, & cum obſeruatione
poteſtatis Ciuilis, multa doctè, eruditè, bre-
uiter, nihil obſcurè tractat. Quarè opus cen-
ſeo, quod typis euulgetur, non ſolum vtile,
ſed valdè neceſſarium. Madriti in noſtra Spi-
ritus Sancti domo, die 21. menſis Ianuarij, an.
Dom. 1636.

Hieron. Fernan. de Salcedo.

Tie-

Suma del Pr iuilegio.

TIene Priuilegio de ſu Mag. el Doctor Don Fracíſco Salerno por diez años, para poder imprimir y vender eſte Libro, y no otra perſona ſin ſu licencia, ſo las penas en el contenidas, como cõſta de ſu original, refrendado de Fráciſco Gomez de la Sprilla, Secretario de Camara de ſu Mageſtad, ſu fecha en Madrid a 4. de Hebrero 1636. años.

ERRATA PRAECIPVA.

PAg.7.B.lin,1.rationem, ratio enim. 9.B.14. in commodo, incommodo. 10.4. Eccleſiæ, Eccleſia. ibid.9.contradiceer, contradicere. ibid. 26.nude, nudæ. 11.B.26.ſic, ſit.13 21.idem, eidem.30.B.16. deprõpum, depromptum.32.B.22.cuntineretque, contineret q. 38.10.lucret, lueret.47.6.vi, vis. ibid. 16.ſimoniacè, ſimoniacæ.ibid.27.Prinipem, Principem.

Leuiuſcula cautum Lectorem non fugient.

¶ Sic reſpondet Archetypo. Dat. Matriti, die 2. Martij 1636.

Lic. Murcia de la Llana.

Suma de la Taſſa.

EStà taſſado eſte libro por los Señores del Conſejo a cinco marauedis cada pliego, como conſta del teſtimonio que della dio Franciſco de Arrieta, Eſcriuano de Camara. En Madrid a 4. de Março de 1636.

PA-

Digitized by Google

PARAGRAPHI diſceptationis.

I.	*Gallicæ Aſſertiones.*	*pag.* 1.
II.	*Aſſertionum fundamenta.*	3.
III.	*Diſceptationis inſtitutum.*	4.
IV.	*Præmonita quædam.*	4.
V.	*Prima Gallica aſſertio trutinatur.*	9.
VI.	*Secunda Gallica aſſertio examinatur.*	18.
VII.	*Exẽpla aduerſariorum perpẽduntur.*	28.
VIII.	*Tertia Gallica aſſertio expenditur.*	38.
IX.	*Aduerſariorũ fundamẽta excutiũtur.*	39.

FRAN-

FRANCISCI SALERNI SICVLI.

DISCEPTATIO SINGVLARIS

NVM APVD FRANCOS MATRImonia ab iis inita, qui Principes ſanguinis appellantur, ad Regnique ſucceſsionem aſpirare poſſunt, valida ſint legitimaque, ſi non modo abſque Regis aſſenſu, verum, etiam, ipſo penitus obnitente, contracta ſint, ac præſertim ab iis, qui eamdem Regni ſucceſsionẽ ſibi, vti Regi propinquioribus, deferendam fore contendunt.

DISCEPTATIONIS Anſam dedit conſultatio, quæ totidem ferme verbis, iuſſu Ludouici XIII. Galliæ Regis, nuperrime Eccleſiaſtico Francorum Conuentui propoſita eſt: Cui quidem reſpondentes Conſulti Antiſtites,

 cæte-

Digitized by Google

cæteriq́ue omnes Eccleſiaſtici Ordinis, qui conuenẽre, vna mente, vnaque voce conſenſerunt, ea Principum coniugia inania eſſe nulliuſque momenti. Suam verò ſententiam hiſce, quas ſubnecto, aſſertionibus explicarunt.

§. I.

Gallicæ Aſſertiones.

1 PRIMA Aſſertio. Conſuetudines, vſuſq; Regnorũ efficere queũt, vt matrimonia quæpiam, prout ſunt contractus quidam, nulla ſint, inualidaque, modo huiuſcemodi conſuetudines rationi innitãtur, antiquæ ſint, legitimaq; præſcriptione roboratæ, atque ab Eccleſia approbatæ.

2 Secunda Aſſertio. Galliæ conſuetudo nullatenus permittit, vt pręfati Principes, præſertim propinquiores, qui ſe Regni hæredes eſſe contendunt matrimonia ineant abſque Regis aſſenſu, minuſque eo penitus obnitente, ac reluctante.

3 Tertia Aſſertio. Huiuſcemodi matrimonia illegitima ſunt, inualida, nullaque, eius ſanè conditionis defectu, ſine qua contrahentes contrahere nequeunt validè, legitimèque: quæ quidem Franciæ cõſuetudo rationi innititur, antiqua eſt, legitimaque præſcriptione roborata, atque ab Eccleſia approbata.

Digitized by Google

§. II.

Aſſertionum fundamenta.

4 PRÆCIPVA verò huiuſce ſententiæ fundamenta Galli Antiſtites, cæterique, qui conuenere, hunc fermè in modum explicarunt. In matrimonijs tria omnino perpẽdi debent: Primum quidẽ eſt ius, quod finem obtinet hominum generationem: Secundũ, contractus eſt, ciuilis, qui cõtrahentes vnit: Tertium eſt ratio Sacramenti. Et quod ad primum, ac tertium ſpectat, neque Reges, neque Põtifices Sũmi, neque ipſamet Eccleſia attingere ea poteſt: horũ enim alterum à naturali, alterum à Diuino iure depẽdet. Sed quod pertinet ad ſecundum, queunt profectò Reges leges condere, atque impedimenta ſtabilire, quæ matrimonia dirimant, quæ proindè dirimentia nuncupamus. Si enim Reges infideles (inquiunt primùm) hanc eamdem habuere facultatem, potiori quidem iure id ipſum Catholici, Chriſtianique Principes exequi queunt.

5 Secundò. Reges abſque huiuſcemodi poteſtate nequaquam eum finem attingere poſſent, cui Deus illos cõſtituit, ac deſtinauit: nimirum ſubditorum bonum: malaq; nequirent auertere, quæ ex hiſce matrimonijs, abſque eorum aſſenſu initis, oriri facillimè queunt.

6 Tertiò. Edocent plures, poſſe Reges quãdoq;

præcipere, vt quiſpiam, ſibi ſubiectus, matrimonium ineat, ità exigente publico, communique bono. Quã ob rem & matrimonium interdicere poterunt; cum eiuſdem prorſus iuriſdictionis ſit præcipere, ac prohibere. Ac prohibitionis quidem exemplum in Sacris literis habemus, putà *Geneſ.* 24. vbi Abraham ſeruo Eliefer præcepit, vt filio ſuo Iſaac vxorem non acciperet de filiabus Chananæorũ, & *c.* 28. idẽ Iſaac filio ſuo Iacob dixit: *Noli accipere cõiugẽ de genere Chanaan.* Id autẽ Abraham, non vti pater præſtitit, ſed vti Superior, & Patriarcha, damna præuidens, ac præcidens, quæ ex huiuſcemodi matrimonijs poterant exoriri.

7 Quartò. Galliæ hac in re conſuetudo vim obtinet legis, quippe quæ eas quatuor conditiones habet, quas vſus exigit, vt laudabilis exiſtat: Cernimus enim illam rationi optimę inniti, antiquam eſſe, pręſcriptione legitima roboratam, atque Eccleſiæ auctoritate approbatam: Cuius quidẽ auctoritas haud expræſſa requiritur: Satis enim eſt, quòd eam conſuetudinem ipſamet Eccleſia, eiuſque caput Romanus Põtifex ſciat, eamdemque toleret, ac patiatur. Id verò exemplis oſtenditur Baldouini Comitis, & Iudith; Ludouici Balbi, & Anſgardis (etſi interpres hæc duo nomina peruerterit; *vt num.* 51. admonebo) ac Maximiliani, Annęque Ducillę Britanniæ.

8 Denique ſi Reges hanc, qua de loquimur, poteſtatem non obtinerent, lex Sallica parum omnino perduraret: Cui ſanè totius prorſus Francię fundamenta inniti pluſquam certiſsimum eſt.

§. III.

§. III.

Diſceptationis inſtitutum.

9 ATQVE Hæc quidem ſunt, quæ Conuentus ille protulit, quò ſuam hac in re ſententiã firmiſsimè fulcirent: quæ tamen omniaità debilia, ac nullius fermè roboris cenſeri debent, vt nihil minus probent, quam id quod ipſi contendunt, vti hoc loci apertiſsimè, Deo fauente, cuius, vt opinor, cauſa agitur, oſtendemus. Noſtrę igitur diſceptationis inſtitutum eſt, demonſtrare, matrimonia Principum, de quibus loquimur, valida, rataque eſſe; etſi illis, qui Regnum poſsidet, obnitatur. Quoniam verò in hoc negotio nos reorũ vices revera ſubimus, quippe quos, matrimonij valorem defendentes, cui iura omnia fauent, Aduerſarij acriter oppugnant; Reorum verò munus ſit, Actorum intentionem, rationeſque penitus elidere, quo victoriam conſequantur, cum vulgare ſit iuris axioma, Actore non probante, abſolui reum, ac præſertim in matrimonij cauſis, cuius valor ſemper præſumendus eſt; ideo nobis aduerſariorum rationes diluendę ſunt, ac pro matrimonij valore propugnandum: vna tamen eademque opera & hanc eamdem iſtorum oppugnabimus opinionem: quam obrem, & eorumdem quoque ordinem ſequi cogimur, vel inuiti, alium fortaſsis aptiorem alioqui ſectaturi.

(**)

§. IIII.

Præmonita quædam.

10 SED Antequam id exequar, vnum, aut alterũ præmonere operepretium eſt. Primum quidẽ diſtcire prorſus matrimonij valorem ab ipſiuſmet honeſtate; ità ſanè, vt queat ſępè validũ, ratumq; eſſe cõiugium, etſi omnino illicitum, & inhoneſtũ. Id quidem ſæpè matrimonijs, quæ, inuitis omnino parentibus, à filijs cõtrahũtur, accidere ſolet, *vti ipſi Miſcellorũ reſponſorũ, lib. 1. reſp.* 16. oſtendimus copioſe. Neque verò id peculiare huiuſce Sacramenti cenſeri debet: quin id ipſum in alterius cuiuſcunque Sacramẽti vſu contingere poteſt (atque vtinam nunquam eueniret) nimirum ſi cum is, qui illud alteri miniſtrat, tũ is, qui ſuſcipit, id agãt, non ob Dei gloriam, animæque ſalutem, ſed ob lucrum aliquod, turpeque commodum, aliumue finem penitus iniquum, & inhoneſtum: tunc enim nemo certè negabit Sacramento valorẽ, ac firmitatem, etſi de cetero malè, illicitè, ac grauiſsima culpa miniſtretur, ac ſuſcipiatur. Quo quidem caſu Deũ ex parte Sacramenti auctorem agnoſcit, *Bellarminus, tom. 2. contr. lib. 1. de matr. Sacr. cap. 20. col. 2. poſt med.* Non verò ex parte miniſtrantis, ac ſuſcipientis, qui illum offendentes, Sacramento penitus abvtuntur, & vt exemplum ex ipſomet matrimonij Sacramento proferatur, ſi cum filius, tum parentes in matrimonium (*de quo d. reſp.* 16. loquebamur) ob prauum aliquẽ

finem

finem conſentiant,profectò neque ipſimet hæretici inficias ierint,illud validum,ratumque fore cẽſendũ; idem tamen contrà diuinum, naturaleque præceptũ agnoſcere cõpellẽtur. Seiungendum igitur eſt in hiſce,ſimilibuſque rebus,ius ab honeſtate;adeo vt poſſe quidpiam fieri,non ſit licere id ipſum fieri.

11 Secundò præmonendum eſt,iura omnia matrimonij valori plurimum fauere,ac ſuffragari. Hinc eſt,quòd,ſi dubium ſit,nùm matrimonium validè cõtractum fuerit,nec nè;in matrimonij fauorem ſententia proferri debet,vti paſsim iuris interpretes oſtendunt, *Abb.in c.tua nobis,de de ſponſ.impub. Dec.conſ.133. Pariſ.conſ.53.num.3.& conſ.58.num.7.lib.4. alijquè innumeri,quos citat,ſequiturque,Menoch.lib.3.præſumpt.3. num.9. Thom.Sanch.lib.1.de matrim.diſput.18.num.5. Maſcard.de probat.tom.1.concluſ.1027.* qui plura iura recenſet:ſed id probant omnes,*ex cap.ex literis innẽta gloſ.verb.in liberali de probation.& cap.fin.de ſent. & re iud.*ubi Pontifex decidit,duobus ordinarijs iudicibus diuerſas ſententias proferentibus,eam,quæ reo fauet omnino præferri;niſi in cauſa,quę matrimonio fauet. Quã ſanè doctrinam in vtroque prorſus foro obtinere locum *Sancius* oſtendit. Hinc etiam eſt, opinionem alicuius Doctoris ſingularem, matrimonium tamen ſuſtinentis,plurium ſententiæ, illud impugnantium, omnino præferri;niſi hæc aperto textui innitatur, vt rectè edocuêre plures,quos laudat,ſectaturque, *Menoch.de præſumpt.lib.2.præſumpt.71.num.30.& ſeq. Nauarr.ſumm.cap.27.num.187. Sanch.loc.cit.num.7.* pro-

bantque non in congruè, *ex cap. licet ex quodam in fine, de teſtib.* vbi tolerabilius eſſe, ait Pontifex, aliquos cõtrà ſtatuta hominũ dimittere copulatos, quã cõiunctos legitimè contrà ſtatuta Dei ſeparare. Hinc demum equidem elicuerim, ſi ſtatuta, conſuetudines, leges, aliaque ſimilia hominum decreta reperiantur, quæ matrimonia ſimpliciter, vt aiunt, prohibeant, nihilq; aliud addant, putà irritans, vt vocant, decretum, quo hæc matrimonia inualida, nullaque reddantur: hæc, inquam, omnia ità fore interpretanda, vt non valorẽ matrimonijs adimant, ſed honeſtatem; quia videlicet ea illicita, inhoneſtaque erunt, etſi valida, rataque. *Ità decidit poſt alios Romana Rota in Nouiſsim. deciſ. 750. num. 3. vol. 1. quam citat, ac ſequitur Sanch. lib. 3. de matr. diſput. 32. nu. 2.* aientem, ſpeciale eſſe in matrimonio, irritum minimè reddi ex ſimplici prohibitione. Quod hi non ineptè eliciunt, *ex cap. 2. de matrim. contract. cõtrà interd. Eccleſ.* vbi: *licet enim*, inquit Pontifex, *contrà, interdictum Eccleſiæ ad ſecunda vota tranſire non debuerit; non tamen eſt conueniens, vt, ob id ſolùm, Sacramentũ coniugij diſſoluatur*, & *Rota* quidem, *num. 4.* aliam huic apprimè congruentem doctrinam affert: depromptam, *ex gloſ. comm. approb. in Clem. 1. verb. inhibentes de iur. patron.* quam innumeri ſequuntur, quorum nonnullos eadem *Rota* inibi laudat; putà, quòd quotieſcumque quis aliàs poteſtatem obtinet faciendi actum quempiam, & conſtitutio mandat, inquit, ſimpliciter ſine clauſula annullatiua, illũ actum ſub certa forma fieri; tunc, quamuis contra faciens ſit puniendus; tamen

actus

Digitized by Google

actus valet, & tenet. Sed in re noſtra, quàm tradidimus doctrinam, optimè probat *Sāch. lib. 7. de matrim. diſput. 2. præſertim, num.* 10. vbi poſt alios docet, omnium eſſe ſententiam, ſi prohibitio matrimonij ſimplex ſit, nimirum abſque decreto irritāti matrimonium, aduerſus eam initum, validum eſſe, ibiq; plures laudat idem penitus ſentientes, aliaque tradit apud ipſum omnino conſulenda.

12 Tertiò præmittendum eſt, inter Catholicos, quibuſcum præſens quæſtio eſt, certiſsimum eſſe, ac fide tenendum, matrimoniū, inter fideles (nomine fidelium in tota hac diſceptatione, baptizatos intelligimus, vt iuxta certiſsimam opinionem loquamur) contractum, Sacramētū eſſe propriè dictum, vt latè probat *Bellarmin. tom. 2. cit. lib. vnic. matrim. Sacram. cap.* 2. ex diuinis literis, conſilijsque *cap.* 3. ex Patribus, *cap.* 4. rationibus, *cap.* 5. ſolutione earum, quibus noſtrorum temporum hæretici vtūtur, ſeu mauis abutuntur, quo hanc Catholicam veritatem euertant: idemque benè quoque præſtitit, *Valent. tom.* 4. *in* 3. *part. S. Thom. diſput.* 10. *quæſt.* 1. *punt.* 5. *Sanch. lib.* 2. *de matrim. diſput.* 10. *alijque*, neoterici paſsim. Huiuſce vero Sacramenti formā, materiam, ac miniſtrum, nequaquam differre à forma, materia, ac miniſtro contractus cōiugij inter Chriſtianos initi, communis, ac vera ſentētia docet cōtrà omnino ſingularem, viri alioqui docti *Melchioris Cani* opinionem, *lib.* 8. *de locis Theologicis, cap.* 5. quem in ijs argumentis imprudenter vti, ait *Bellarmi-*

Digitized by Google

nus loco citato , *capitul.* 6. quibus hæretici noſtri temporis Eccleſiam vexare poſſent: & hanc quoque *Cani* opinionem falſam vocat, *Valentia loco citato punct.* 6. qui poſt *Sotum* iudicat, temeritate non carere, ac notâ dignam arbitratur *Baſil. Ponti. Legion. libr.* 1. *de matrim. cap.* 8. Docet igitur ea communis, ac vera ſententia, idem prorſus ſufficere ad contractum cuniugij celebrandum, & ad celebrandum eiuſdem matrimonij Sacramentum, neque ad hoc alia quærenda ſunt, prę-ter ea, quæ in contractu legitimi coniugij inueniuntur. Id autem præſtitit Chriſtus Dominus, cum ciuile, ſeu naturale matrimonium, ſiue ciuilem, & naturalem coniugij contractum ad rerum Sacrarum ordinem euexit, ſeu mauis eleuauit; quò ſcilicet imaginem referret coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, & cum anima vniuſcuiuſque per gratiam, & Charitatem. Atque ita in lege Euangelica nullũ prorſus eſt Chriſtianorum legitimũ cõiugium, quòd non ſit etiam Sacramentum: ſimul enim, ac contractus iſte à contrahentibus celebratur, ſtatim ſignum eſt rei ſacræ, gratiam conferens ex opere operato, adeo vt nequeat omnino hodie ratio contractus in Chriſtianis cõiugijs à Sacramenti ratione vllatenus ſeiungi, ſed ijdem prorſus indiuiſibiles actus, qui conrractus ſunt, ſunt etiam Sacramentum, ac proinde inter hæc duo hodie, nõ niſi rationis diſtinctio inter-

Digitized by Google

tercedere videtur: ijdem enim actus, qui contractum conſtituunt, conſtituunt etiam Sacramentum: quam obrem aiebat *Sanchez libr. 2. diſputat. 11. numer. 27. verſic. quarto quia*, matrimonium, vt contractus eſt, & vt Sacramentum eſt, eſſe idem numero, & realiter, ac tantum differre penes diuerſos reſpectus. Omnemque prorſus legitimum coniugij contractum eſſe etiam Sacramentum, edocuit *Bellarmin. dict. libr. vnic. de matrimon. capitul. 32. verſic. Primò*. Hæc vero re ipſa ita accidunt, adiuuante obedientiali potentia, non autem opere rationis; cum verè, ac realiter coniugium Chriſtianorum à Chriſto Domino ad præfatum Sacrarum rerum ordinem ſit euectum, atque ex profanarum rerum conſortio contractus iſte ab eodem Chriſto Domino extractus ſit. Cuius ſanè rei exemplum traddit *Baſilius Ponti. Legion. libr. 6. de matrimon. capitul. 2.* hominis nimirum, ante ordinem ſuſceptum, iuriſdictioni politicæ ſubiecti, à qua tamen extrahitur per ordinis ſuſceptionem: item & bonorum Eccleſiæ donatorum, quæ, cum antea iuriſdictioni ſeculari ſubderentur, poſt factam Eccleſiæ donationem, à politica poteſtate penitus extrahuntur.

13 Quiſquis igitur coniugio, eiuſue formæ aut materiæ, addit, detrahitve, profecto, & Sacramento vel eius formę, aut materiæ, aliquatenus addit, detra

hitve: rationem coniugij à Sacramenti ratione ſeparari, aut ſeiũgi nullatenus poteſt. Hinc verò ſequitur, eum, qui Sacramento, vel eius formæ, aut materiæ detrahere, vel addere nequit; profectò nec cõiugio, eiuſve formæ, aut materię, addere, aut detrahere poſſe. Atque hinc, *Petr. de Led eſm. de matrim. q. 42. art. 1. dub. 7. ad 1. & 2. quẽ citat ac ſequitur Sanchez lib. 2 cit. diſp. 10. n. 6. Ægid. diſp. 24. dub. 2. alijque* edocent, matrimonium, quod defectu intentionis fidelium contrahentium, Sacramentum non eſt, neque in ratione contractus validum fore. Id quod colligitur, *ex Suar. tom. 1. de Sacrament. q. 64. art. 10. diſput. 15. ſect. 2. ad finem*, quia, inquit *Sanch.* ex Chriſti inſtitutione inſeparabile eſt à contractu matrimonij eſſe Sacramenti: vndè intentio non conficiẽdi Sacramentum repugnat intentioni legitimæ faciendi matrimonium, vt eſt contractus: ſicut è contrà, qui intenderet facere Sacramentum matrimonij, non autem contractum, nihil efficeret: quia ex Chriſti inſtitutione hæc duo ſunt inſeparabiliter cõiuncta, & ita mutuò ſe ponunt, ac deſtruunt. Vndè non eſt ſimile, ſi obijcias, eum, qui Sacrum Ordinẽ aſſumere vellet, non autem caſtitatis voto vllatenus obſtringi, manere Sacro Ordine, ſeu eius charactere inſignitum, non vero voti obligatione ligatum: id enim votum minimè eſt diuino iure ordini inſeparabiliter annexum, vti certè eſt matrimonij contractui eſſe Sacramenti; ſed ſolum Eccleſiæ ſtatuto, quæ circa Sacramentorum ſubſtantiam nihil peni-

Digitized by Google

penitus immutare poteſt: etſi contrà *Sancium in hoc vltimo cenſuerint alij, Vazquez 3. part. diſput. 138. nu. 63. Rebell. de oblig. Iuſt. lib. 2. q. 5. quos citat; ſectaturq; Baſilius, dict. lib. 1. cap. 9. & Gaſpar Hurtad. tom. 3. de Sacrament. tract. de matrim. diſput. 3. difficult. 19. à nu. 70.* quorum tamen rationes rei noſtræ non officiũt, cum ipſi de coniugij cõtractu loquamur, qui reuera Sacramentum eſt. Rectè vero poſt *S. Thom.* edocuit *Bellarm. cap. 6. cit.* totam matrimonij eſſentiam in ſignis conſiſtere mutuum exprimẽtibus cõſenſum: quæ quoniam vnius coniugis determinant alterius ſigna, verbaque, atque ab illis pariter determinantur, ideo in iiſdem verbis materia, & forma diſtingui poteſt, debetque: quatenus enim determinant, forma cẽſeri debent; materia vero, quatenus determinantur, vti etiam poſt *Bellarmi.* alioſque explicuit *Sanch. lib. 2. de matrim. diſput. 5. num. 6. Suar. tom. 1. de Sacram. q. 6. art. 8. diſput. 2. ſect. 1.* quãuis, & alij nonnulli huiuſce rei explicãdæ modi admodum probabiles cenſeri debeant, quos retulit *Hurtad. dict. diſput. 3. difficult. 21.* Huius vero Sacramenti miniſtrum eſſe ipſoſmet contrahentes, benè quoque iidem Doctores explicarunt.

14 Quartò præmonendum eſt, non videri improbabilem quorumdam opinionem, aiẽtium, poſſe Principem politicum, ac ſecularem leges condere, nonnulla matrimonia prohibẽtes, ne in reipublicæ diſpendium, ac perturbationem contrahantur, ſtatuentes, pœnas in eos, qui illa contraxerint, vt iis

oſtendi poteſt, quę poſt alios tradit *Sau.hez libr. 4. de matrimon. diſput. 25. numer.* 1. vbi probatur, iuſtas, validaſque eſſe Principum leges, quæ filios, inuitis parentibus, matrimonia contrahentes, penitus exhæredant. Cuius quidem rei ratio non ea videtur eſſe, quam penè omnes afferunt, putà matrimonium non modo Sacramentum, verum etiam contractum eſſe politicum, proindeque, vti talem, poteſtati Principum ſubiacere, cuius eſt curare, vt conuenienter quieti, pacique reipublicę celebretur: etſi enim id fortaſsis verum ſit, ſi de infidelium coniugijs loquamur; ſi vero de fidelium, id mihi dubium eſt, ob eam, quam ſępè tetigimus, rationem, quòd ſcilicet hodiè huiuſcemodi contractus, inter fideles initus, ad ſupernaturalium rerum ordinem euectus eſt, proindeque non amplius ad ſecularem iuriſdictionem hoc nomine pertinere poteſt. Ratio igitur huiuſce ſententiæ eſſe poteſt, quod Eccleſia, pia fidelium mater, Principibus indulſiſſe uidetur hanc eamdem, quam eis hæc opinio tribuit poteſtatem, qua videlicet poſſent matrimonia quępiam interdicere, quæ, ſi certè inirentur, nimium officerent reipublicæ quieti, pacique populorum: hoc enim recta regiminis ratio exigere videbatur. Id quod ſanè & conſuetudine videtur comprobatum: pluribus enim in locis ſtatuta iſtęc, legeſue reperiuntur. Hæ vero leges matrimonij valorem nullatenus attingũt.

nec

Digitized by Google

nec attingere poſſunt ob ea, quæ poſtea expoſituri ſumus. Et recto populorum regimini ſatis eſt, quod ſuperior matrimonia hæc interdicere queat, ne videlicet fiant, non verò ne validè fiant, vti & in pluribus alijs ſimilis poteſtas Principibus tributa eſt, qua actus quoſpiam, grauiſsimas penas ſtatuentes, prohibent; qui tamen actus, ſi fiant, validi, ratique exiſtimantur.

15 Hæc autem omnia equidem abundè dixerim, vt aduerſarijs aliquid liberaliter impertiamur: ſiquidem de cetero generatim Principibus huiuſcemodi condendarum legum facultatem eſſe denegandam, quiſpiam ijs oſtendere poſſet rationibus, quibus plures vtuntur, vt probent, inualidas eſſe leges, quæ filios, inuitis parentibus, coniugia contrahentes, exhæredãt, quos lõga ſerie retulit, ac ſequutus eſt *Sanch. d. lib. 4. diſp. 25. nu. 2. Felin. in cap. Eccleſia dicens eſſe communẽ opinionẽ. n. 5. de conſtitut.* tum ſcilicet, quia ius canonum omnimodã in matrimonijs exigit libertatẽ, ideoq; ne ea vllatenus minuatur, irritam reddit pœnam ſponſalibus appoſitam, *cap. Gẽm. de ſponſ.* eæ vero leges plurimũ minuũt huiuſcemodi libertatẽ: tũ quia cauſæ matrimoniales, cõdereq; leges circa matrimonia, ad ſecularẽ nõ pertinet poteſtatẽ, *c. cauſ. 2. qui filij ſint legitimi, & c. 1. de ſponſ.* ac cõſulẽdus eſt Rodær. Xuar. *lib. 3. fori tit. de los caſamiẽtos, l. 8. à n. 18.* id quod optimè probat *Bellar. d. lib. vni. de matr. c. 32.* quia hodie cõiugij cõtractus Sacramẽtũ eſt: & quãuis nõ eſſet, res tamẽ eſt

conſ-

cōſciētię p ēdenſq; ex diuinis legibus:atq; ita Chriſtus Dominus *Matth.* 5. & 19. diuortij, repudijque cauſam ipſe iudicauit; non vero remiſit ad politicū magiſtratum. Idemque in alia coniugij cauſa præſtitit *Apoſtolus* 1. *Corinth.* 7. & omnes alij Eccleſiæ Pontifices exequuti ſunt, *Bellarminum* conſulas, ſi lubet: tum denique, quia, addiderim ego, hodiè fidelium coniugium ad ſacrarum rerum ordinē ſpectat, atque ideo politicæ poteſtati nullatenus ſubijcitur. Si vero Princeps aliquibus ſubditorum coniugijs populorum pacem turbari animaduertat, ſummum Eccleſiæ Pontificem, fidelium patrem, Chriſtique Domini Vicarium, obediens filius adeat, poſtuletque, ab eo ferri legem, huic in commodo obuiantem; ſicuti & in ſimilibus caſibus, ad ſpiritales, ſacraſque res ſpectantibus, in quibus Principi condendę legis facultas deeſt, ſæpè exequi optimi, Catholicique Principes conſueuēre: atque ità reipublicæ quieti, ac tranquilitati ſatis proſpectum erit. Verum quidem eſt, ſi quando accidat, matrimoniū quodpiam, vel Eccleſiaſtica lege, vel conſuetudine quapiam, vel rationis dictamine ita exigente, prohiberi, poſſe tunc, me iudice, Principem ſecularem illud ipſum interdicere, ferreq; etiā pœnalem legē, quæ trāſgreſſores multet, plectatve, vti quoque & ipſi, *lib.* 1. *dict. reſp.* 16. admonuimus: tunc enim nihil noui circa matrimonium ſtatuit Princeps; ſed illud ipſum, quod prohibitum erat, ſua lege plùs ſatis interdicit, atque in malos mores animaduertit,

Digitized by Google

vt rectè aiebat *Bald. in l. omnem numer.* 12. *C. de Sena. Tertull.* Ita, quia filij coniugia, inuitis parentibus, abſque iuſta cauſa contrahentes, peccant, vt benè probarunt *Valentia, ac Bellarminus, alijque apud Sanchez lib. 4. de matrim. diſput.* 23. *num.* 9. alicubi ſtatuta reperiuntur, quæ huiuſcemodi matrimonia penitus interdicunt, eaque valida eſſe plures arbitrantur, quorum aliquos ipſi *loc. cit.* retulimus, laudatq; *Ceuall. com. contr. com. q.* 5. *num.* 6. *Dian. tract.* 2. *de immun. Eccleſ. reſol.* 74. & 104. *quia*, inquit Baldus, *cõtrahere abſque conſenſu patris, eſt cõtra bonos mores omnium, & maximè prudentium, & inducit odium capitale, l.* 2. *§. ſi emancipatus, ff. de cõtratab. & ideo valet ſtatutũ non quia vetat ſubſtantiam matrimonij; hoc enim non poteſt facere, niſi Papa; ſed quia punit malos mores, & in republica facinora ſeminantes*. Cum vero lex ſecularis Principis quidquam de integro circa matrimonia decernit, niſi de Pontificis venia, vel confirmatione conſtet, putare quiſpiã poſſet, illam eſſe omnino inualidam, nulliuſque momenti, ob eas videlicet rationes, quas nuperrimè retulimus, atq; poſtmodum vberiùs exponemus. Hoc tamen nunc relinquo meliùs cogitandum: neq; enim nobis id neceſſarium eſt, atque ideo hic ex inſtituto de eo agere non oportet.

(.?.)

§. V.
Prima Gallica aſſertio trutinatur.

16 HIS itaque hunc in modum breuiter præmonitis, diligenter, quoad fieri poteſt, examinandæ ſunt eæ tres illorum Antiſtitum aſſertiones, earumque pondera rationum. Et prima quidem, *num.* 1. propoſita, quæ, ſi in epitome redigatur, edocet, conſuetudinem poſſe noua impedimenta inducere, quæ matrimonia dirimant, ac dirimentia nuncupantur, etſi certa mihi videatur, ſi hæc cõſuetudo à Summo Põtifice expræſsè approbetur; quo ſanè euentu non ipſummet vſum, ſed Papam, huiuſcemodi conſuetudine motum, ea inducere impedimenta arbitrarer: id quod fortè innuere voluit *poſt Hoſt. & alios Syluest. verb. matrimonium 2. quæſt. 3. initio, num. 3. & Sanch. lib. 7. de matrim. diſp. 4. num. 3.* dum eam conſuetudinem vim Pontificiæ conſtitutionis habere autumant; quo loco plures etiam *Sãchez* laudat eiuſcemodi conſuetudinem approbantes: ſi tamen abſque hac expreſſa Pontificis approbatione, hac de re loquamur; mihi quidem aſſertio nimis dubia eſt. Et ſanè hanc vim nudæ cõſuetudini tribuere videtur Alexander Papa III. relatus, *in cap. ſuper eo de cognat. ſpirit.* Cuius ſanè verba, quoniã præſenti negotio plurimum conducere queunt, hoc loci tranſcribere decreui. *De his te volumus*, inquit, *conſuetudinem tuæ Metropolitanæ Eccleſiæ, vel aliarum cir-*

circumpoſitarum inquirere, & diligẽtius imitari: ita quod ſi eiuſdem Eccleſiæ conſuetudo habet, inter eos non ſuſtinere coniugium fieri, nec factum firmitatis robur habere, tu ſimili modo in Eccleſiæ tibi commiſſa cõiugium huiuſmodi fieri non permittas: et, ſi quos taliter coniunctos inueneris, iuxtà earumdem Eccleſiarum conſuetudinem, ipſos ſeparare ab inuicem non omittas: verum, ſi de conſuetudine habeatur, vt talia coniugia permittantur, id in Eccleſia tua diſſimulare poteris, ita quod nec contradiceer, nec tuũ videaris præſtare aſſenſum; quia, ſicut graue eſt, antiquam conſuetudinem circumadiacentium Eccleſiarũ ſuper his contemnere; ſic quoque grauius videtur, ſi propter eam huiuſcemodi coniugijs tuum indulgeas aſſenſum, cum poſſet ſic in exemplum aſſumi. Eamdem fermè vim conſuetudini tribuere videntur idenmet Pontifex, relatus *in cap. 1. eod. tit.* in poſtremis verbis, *Innoc. 3. in cap. cum olim, de cler. coniug. & Concil. Carthag. relatum in cap. placuit diſt. 32.* ob quæ quidem iura hac in re maximè diſcordes Doctores inueniuntur: quorum quidem locis referendis ſuperſedendum erit: tum quia breuitati ſtudemus, quoad fieri poteſt: tũ quia id accuratè præſtitit *Sanch. lib. 7 diſput. 4.* & actum agere nobis in animo non eſt: conſulẽdus itaque hic auctor erit. Doctores verò fermè omnes in eo vnicè laborant, vt illud Alexandri enunciatum ita interpretentur, vt nudę illi conſuetudini vis inducendorum dirimentium impedimentorum minimè tribuatur.

17 Sunt igitur primùm, qui docent, conſuetu-

dinem, eo Capitulo contentam, obtinere quidẽ vim iſtam, de qua loquimur; ſed vti à Pontifice Summo expreſsis, diſertiſque verbis, approbatã, abſque cuius ſanè approbatione eam virtutem nullatenus obtineret; proindeque inferunt, eam conſuetudinem in illius dumtaxat Capituli caſu habere robur, in quo ſolo approbata reperitur; nõ vero ad alios poſſe protrahi, in quibus Pontificia approbatio deſideratur. *Hi ſunt Hoſt. Roſell. Silueſter, & nonnulli alij*; quibus equidẽ eos annecterem, quos ſeparatim laudat *Sanch. num. 9*. idem enim fermè, quod hi ſentiũt; pręputà *Calderin. Alexand. de Neuo. Paludan. alijq*; pręſertim antiquiores.

Alij ſecundò volunt generatim, eam vim nõ obtinere conſuetudinem, niſi mixta ſit laicorũ, & clericorum, quam ſcandalum comitetur, quod ex matrimonij contractu, aduerſus conſuetudinis prohibitionem inito, pullularet: tunc enim docent, id matrimonium irritum fore; non quidem ratione cõſuetudinis huiuſcemodi; ſed quod Sacri Canones cum ſcandalo iniri coniugia minimè patiantur. Quorum ſanè ratio eſt, quia, ſicuti conſuetudo habiles eos efficere nequit, quibus ius canonum matrimonium interdicit, *cap. quod ſuper, in fin. de conſangu. & affin.* ita neque inhabiles reddere poterit, quibus idẽmet ius matrimonium permittit. Hi ſunt *Couarr. Ludou. Lopez Henrriquez*.

Alij tertiò cõſuetudinem non quidem mixtam, ſed tamen ſcandalo comitatam, volunt, vt eam vim obti-

obtinere queat, arguentes à ſpirituali ad carnale matrimonium, *ex cap. cum olim, iuncta gloſ. fin. de cler. coniug.* ac *cap. 1. cit.* coniungentes, *dict. cap. ſuper eo*, vt requiri ſcandalum oſtendant, atque horum capitulorum diſpoſitionem ad alios omnes caſus extendentes. Hi ſunt plures præſertim, *in dict. cap. ſuper eo de cog. ſpirit. gloſ. Butr. Abb. Præpoſ. Angel. Goffr. Drie. alijque innumeri, ac præſertim Nauarr. in ſumm. cap. 22. num. 73.* vbi ait omnino deſiderari, vt ſcandalum ſequatur, non ſolum ex contractione, inquit, matrimonij, ſed etiã ex perſeuerantia in illo, etſi moneat *Sanchez*, horum Doctorum nonnullos ſcãdali nullatenus meminiſſe: quamuis nemò prorſus ſit, qui expræſsè aſſerat, illud minimè deſiderari, vt idem *Sanch. n. 11.* ingenuè fatetur.

Alij quartò, non mixtam quidem, antiqui tamen iuris adminiculo adiutam, nedum ſcandalo comitatam, requirunt, vt vim, qua de loquimur, obtinere poſsit: quod ſcilicet ius antiquum tale matrimoniũ, quod cõſuetudo dirimit, dirimuerit; etſi huiuſcemodi ius poſtea fuerit antiquatũ. *Hi ſunt Gloſ. Ant. Præpoſ. Alex. de Neuo. Angel. Sylueſt. & ſecundum aliquos, Abb.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Alij quintò volunt valere quidem eiuſcemodi conſuetudines, vt matrimonia impediant; non tamen vt dirimant; ſed ad tempus in pœnam ſeparabuntur. *Hi ſunt Gloſſ. Goffred. Innoc. Albер. Archid. Turrecrem. Ioan. Andr. Anchar. Aſtenſis, Tabiena, Viguerius, Gaeta, Anton. Cucus, & nonnulli alij.*

Sextò

Digitized by Google

Sextò atque vltimò alij ſunt,qui volunt,conſuetudinem legitimè præſcriptam, ac rationi conſonã, qualis petitur *in cap.fin.de conſuetud.* ad legem ſtatuẽdam,& ſtatutam derogandam, vires habere inducendi nouum dirimens impedimentum, ac ſubindè matrimonium,aduerſus eam conſuetudinem initũ, eſſe nullum: idque ſolam conſuetudinem poſſe abſque ſcandalo,& adminiculo alterius iuris; nec ad eam inducendam deſiderari Pontificis ſcientiam, ſed,eo penitus ignorante,poſſe talem conſuetudinẽ legitimè præſcribi,ſuumque operari effectum, dũmodo ſit conſuetudo mixta clericorum, & laicorũ. Hanc ſanè doctrinam totidem verbis tradit *Sanch. d.diſp.4.n.11.*

18 Atque hę profectò Doctorum virorum ſententię rem,qua de agimus,dubiam reddunt,vt quilibet animaduertit. quo quidem nomine eam amplecti cogimur,ac ſeligere,quæ magis matrimonio fauet, ſi vera eſt, vt certè cenſeri debet, doctrina, quam antea *n.11.*tradidimus. ex vero matrimonio magis,quam ceteræ, quinimo ſolæ ſuffragantur, quæ eam vim, de qua loquimur, conſuetudini negant,vti prima,quæ Pontificis approbationem requirit,ac quinta, quæ eam vim denegat cuicumque tandem conſuetudini, ſi de dirimentibus impedimentis ſermo ſit; non vero ſi de impedientibus loquamur. etſi dereliquo putem, hoſce quintæ ſententię patronos neutiquam negaturos, Papæ approbationem hac in re legis vim eiuſcemodi

di vſui tribuere poſſe; quamuis de ea ipſi non meminerint, quòd verè cēſuerunt, tūc non conſuetudinē, ſed Pontificē Sūmū ea inducere impedimenta, vti antea admonuimus. quam ob rē primæ, ac quintæ ſententię patroni in vnum commodè coāleſcere queunt. & hanc equidem opinionem tot, tātorumque virorum auctoritate fulcitam, cum vnus dumtaxat ſufficeret, vti, *d. n.* 11. diximus, matrimonij valori omnino fauentem, cum ceteræ ei penitus aduerſentur, amplectendam omnino arbitror: cum pręſertim ea Canonum Iuri, ac rationi non incongruę innitatur.

19 Etenim in *cap.* 1. *de ſponſalib. iuncta Gloſſ. verb. lege*, communique Doctorum interpretatione, ſtatuitur, Galli cuiuſpiam matrimonium, à ſe contrà Gallicam conſuetudinem initum, nequaquam fuiſſe irritum, vt ipſe inaniter contendebat, proindeque ad vxorem redire, nihil obſtante huiuſcemodi conſuetudine, compulſus eſt. Neque dicas cum *Sanchez diſput.* 4. *citat. num.* 11. conſuetudinem, vt eam vim obtineat, debere eſſe mixtam laicorum, & clericorum, vti illa Gallica non erat: ſola enim laicorū nihil circa matrimonij ſubſtantiam, atque Eccleſiaſticas leges immutare poteſt: deficit enim, inquit, poteſtas in inducentibus conſuetudinem, cum matrimonium ſpectet ad Eccleſiæ forum *cap. Tuam, de ord. cogn.* Nè, inquam, id dicas: quandoquidem hæc mera diuinatio cenſeri debet, nulli penitus rationi nixa: cur enim eam conſuetudinem laicorum dumtaxat

taxat

Digitized by Google

taxat extitiſſe interpretemur, cum Pontifex *Francorum* fuiſſe aſſeueret; Francorum autem appellatione, non minus clericos, quam laicos, comprehendi notiſsimum ſit? Etſi de reliquo putem, aptius illos ratiocinari, qui, eam vim conſuetudini tribuentes, edocent, eam eſſe debere laicorum ſimul, ac clericorum; tum quia alioqui in inducentibus conſuetudinem poteſtas deficeret, vti monuimus; tum maximè quia *cap. ſuper eo. cit. de cogn. ſpirit.* quod eſt aduerſariorum Achilles, hanc eamdem conditionem requirere videtur, dum *Eccleſiæ* conſuetudinem ſemel, atque iterum ſpectandam eſſe decernit.

20 Ratio autem, cui noſtra ſententia innititur, vt alias omittam, ea eſſe poteſt, quæ rem, me iudice, efficaciter euincit; nimirum, quia matrimonij contractus à Chriſto Domino ità eleuatus, euectuſq; eſt ad ordinem ſacrarũ, ac ſupernaturalium rerum, ſi inter Chriſtianos contrahatur, vt iam amplius in naturalium rerum ordine non reperiatur: nullus enim hodie inter fideles huiuſcemodi contractus inueniri poteſt, qui non ſimul ſit matrimonij Sacramentum, ac proindè ad ſupernaturalium rerum ordinẽ euectus, vti antea *num.* 12. explicatum eſt. Hinc fit, vt hodie in terris nemo prorſus ſit, qui circa huiuſmodi contractum aliquid ſtatuere queat, ſi eiuſdẽ Chriſti Domini Vicarium excipias, qui nonnulla in eo decernere poteſt, vti poſtea expoſituri ſumus: omnis enim hominum poteſtas ſupernaturalibus, ſacriſque rebus, inferior eſt, neque eas vllatenus at-

tingere

Digitized by Google

tingere poteſt. Quam ob rem, ſicuti nonnulli conſuetudini dumtaxat laicorum eam vim, de qua agimus, penitus negant, ea moti ratione, quòd ſcilicet in inducētibus poteſtas deficit, vt antea retulimus, moxque etiam repetemus; ita equidē aio, nulli penitus vſui eam vim fore tribuēdam, quamuis ſit etiã clericorum; cum certum omnino ſit, neque clericis eam facultatem, quæ ad id exigitur, conuenire; ſicuti certiſsimum eſt eam ſoli Romano Pontifici competere, vt §. 9. vberiùs oſtendemus. Hinc generatim edocuit, *Card. in Clement. ſæpè, §. & quia, quæſt. 4. de verb. ſignif. per dict. cap. 1. de ſponſ. ibique not. & cap. fi. de ſponſ. duor. & poſt eum Bertach. in Repert. verb. conſuetudo, num. 26.* conſuetudinē circa matrimonij ſubſtantialia nullum robur obtinere.

21 Confirmatur primò hæc eadem ratio, quia coniugij contractus, inter fideles initus, inſeparabiliter eſt matrimonij Sacramentum, *vt num. 12.* admonuimus. Hinc vero fit, vt quemadmodum conſuetudini nulla prorſus circa alia Sacramenta poteſtas tribuitur; ita & idem circa hoc, de quo loquimur, omnis etiam vis denegari debet.

22 Confirmatur ſecundò, quia eiuſdem poteſtatis eſt obligare cōſuetudine, & obligare lege: atqui populus legem, matrimonia dirimentem, ferre non poteſt, quæ homines obſtringat: neque igitur conſuetudine id exequi poteſt. Cuius quidem ratiocinationis minor propoſitio ab omnibus conceditur, præſertim, ſi de cōiugio inter fideles initò loquamur,

Digitized by Google

quamur, vti certè ipſi loquimur: maiorem vero tradunt omnes, cum *S. Thom. 1. 2. q. 97. art. 3. ad 3.* ac *benè explicat Syluest. verb. conſuetudo, q. 3. num. 5.* Neque dicas, conſuetudinem, de qua agimus, nequaquam vim legis obtinere directè ex populi voluntate; ſed ex generali Sūmi Pōtificis conſenſu, quē *in cap. fin. de conſuet.* conſuetudini tribuit, rationi cōſonæ, ac legitimè pręſcriptæ: ne inquam id dicas.

23 Etenim primùm aio, generalem Pontificis conſenſum, virtute præfati Capituli conſuetudini tributū, minimè extendi ad res ſupernaturalis ordinis, ſacraſque, neq; ad Euāgelicæ legis Sacramēta, quale hodiè eſt omnis prorſus coniugij contractus inter fideles celebratus; ſed pro rebus dumtaxat naturalis ordinis eam vim conſuetudini Sūmus Pontifex impertiuit.

24 Secundò aio, poteſtatem conſtituendi impedimenta dirimentia, Papæ hodiè eſſe propriam, ac ſpecialiter reſeruatam, vt probat *Sanch. dict. libr. 7. diſput. 3. num. 4.* ipſique §. 9. oſtendemus. Hinc vero ſequitur, illam neque conſuetudini virtute prædicti Capituli conuenire poſſe: tum quia reſeruatio generalis eſt, proindeque apta cōpræhendere quēcumque vſum: tum quia conſuetudine quæri ea nequeunt, quæ ſunt ſpecialiter reſeruata, vt poſt alios, monuit *Bertach. in Repert. verb. conſuetudinis effectus numer. 10.*

25 Tertiò addere quiſpiam poſſet, Pontificē eam vim conſuetudini fuiſſe impertitum, quoad ea dum-

dumtaxat abroganda, ſeu deroganda, quę humani, ac poſitiui iuris exiſtunt; non vero quoad illa, quæ aliquatenus ex naturali, diuinoque iure originem ducunt, vt id, de quo loquimur, eſſe videtur: matrimonium enim eſt vinculum naturali iure, diuinoq; adinuentum, atque omnibus conceſſum: vndè intulit *Sanch. lib. 7. diſput. 1. num. 6.* etiam in Papa ad impedimenti dirimentis valorem iuſtam cauſam omnino deſiderari: *quia*, inquit, *non poteſt matrimonium ad libitum interdicere; ſed ſicut diſpenſatio in iјs, quæ iure naturæ obligant, facta abſque cauſa, eſt irrita, ita cenſendum eſt de probibitione matrimonij abſque legitima cauſa: quamuis diſpenſatio in iјs, quæ ſunt de iure humano abſque cauſa, valida ſit, licet Pontifex peccet.* Vbi euidēter arguit hic auctor ex iure naturali præcipiente, atque obligante, ad ius naturale cōcedens, ſiue permittens: quem tamen arguendi modum poſtea improbat, *diſp. 4. n. 12. eod. lib. 7.* vbi defendit, conſuetudinem ſolam virtute, *cap. fin cit.* poſſe conſtituere dirimentia impedimenta: ait enim, id nihil penitus obſiſtere naturali iuri, diuinoque, cum hæc duo iura non præcipiant coniugium contrahi, ſed ſolùm permittant. Quod tamen diſcrimen, & præfatam illius rationem euertere, & non in omnibus naturali iure permiſsis perſpici videtur: defenſionis enim facultas, nonniſi naturali iure permittente, homini competit: neq; enim ius pręcipit hominē ſe defendere, ſed tantum permittit: quin ſæpè ſalutare conſilium eſt, permittere ſe potius occidi, quam iniquum in-

terimere inuaſorem, in ęternum periturum, ſi occidatur, vt benè, poſt alios, probauit *Leſsius lib. 2. de iuſt. cap. 9. dub. 8. num. 55.* Et tamen, neque ipſemet Imperator, niſi in quibuſdam caſibus, homini hanc facultatem adimere poteſt, quia iuris naturalis, etſi tantū permittentis, exiſtit *Clem. Paſtoralis de re iud.* atque ideo eam neque à conſuetudine tolli poſſe, edocuit, poſt alios, *Farin. lib. 1. pract. & Theor. crim. tit. 5. q. 39. num. 29.* Sed quamuis hæc ratio contra *Sancium* vim aliquam obtineat; quidquid tamen de ea ſit.

26 Quartò aio, cum doctiſsimo *Gaſpare Hurtado Doctore Theologo Complutenſi tract. de matrim. diſp. 12. difficult. 2. n. 8.* in re noſtra requiri ſci entiā, ſeu notitiam, atque approbationē, ſaltē tacitā ſuperioris potētis ſtatuere impedimēta, ſeu, quod idē eſt, Eccleſiæ, eiuſve capitis, ſeu Generalis Cōcilij, quod vniuerſalem Eccleſiam repræſentat: id quod breui quidem, ſed efficaciſsima, vt aſſolet, ratione demōſtrat: *quia*, inquit, *nulla prohibitio, neque irritatio fieri poteſt, niſi ab habente iuriſdictionem.* Quam obrem minimè ſufficit in re, de qua agimus, generalis Pontificis conſenſus, virtute, *cap. fin. cit.* conſuetudini tributus, ſed neceſſaria eſt ipſius notitia, tacitaque ſaltem approbatio, putà, quæ non ſit ſolum diſsimulatio quędam; ſed quæ per aliquem actum explicetur, qui virtute contineat eiuſcemodi approbationem.

27 Denique aio, in re noſtra mihi videri, ex-

præſſam

præſſam requiri Pontificis approbationem. Moueor, quia in *cap. ſuper eo cit. de cognat. ſpirit*. idẽ Põtifex Epiſcopum monet, vt conſuetudinem, de qua inibi loquitur, prudẽter diſsimulet, *ita quod*, ſubdit, *nec contradicere, nec tuum videaris præſtare aſſenſum, quia ſicut graue eſt, antiquam conſuetudinem circumadiacentium Eccleſiarum ſuper his contemnere; ſic quoq; grauius videtur, ſi propter eã, huiuſmodi coniugijs tuum indulgeas aſſenſum, cum poſſet ſic in exemplum aſſumi*. Vbi ſanè haud obſcurè innuit Pontifex, eum huiuſcemodi conſuetudines minimè approbare, ſeu quod idẽ eſt, eis nullatenus aſſentiri, qui illas dumtaxat diſſimulat, non vero illis expræſſum præſtat aſſenſum. Nimirum quandoque prauę hominum conſuetudines tolerantur, quo maiora mala penitus euitentur, vt non ineptè colligitur, *ex cap. hi qui 26. q. 2. ibique, gloſ. fin*. quæ alia iura refert. Quod quidem eius Capituli fragmentum, à nobis modo relatum, ſiue ad priorem, vti ego ſuſpicor, ſiue ad poſteriorẽ eiuſdem Capituli caſum referatur, loquaturque de dirimentibus impedimẽtis, humano iure ſancitis, penitus abrogandis (quam ſanè vim cõſuetudini omnes fermè denegant, ſi vnum, aut alterum excipias, quos retulit, ac ſequutus eſt *Sanch. dict. diſput. 4. n. 14.*) non vero de nouis inducendis, nihil penitus refert: ſolum enim hic oſtendere contendimus, huiuſmodi conſuetudines, ad matrimonium pertinẽtes, debere exprẹſſe à ſuperiore approbari, nec ſatis eſſe diſſimulationem.

Sed

28 Sed dices, diſsimulationem iſtam debere omnino operari, vel cõſuetudinis approbationem, vel ſaltem diſpenſationem in ijs coniugijs, alioqui nullis, quippe contrà Canones ea dirimentes initis; quo ſcilicet coniuges in illis abſque ſcrupulo permanere queant: ſi enim neutrum ea Pontificis diſſimulatio operaretur, certè illa matrimonia nihilominus nulla manerent, proindeque coniuges ſeparandi penitus forent.

29 Reſpondeo tamen primùm, ſi diſpenſationẽ in illis tantum coniugijs operari fateremur, nihil prorſus id nobis officeret: notiſsimum enim eſt, diſpenſationum virtutem cenſeri contractam rebus ipſis, perſoniſque, quibus conceſſæ ſunt, neque vlterius protrahi indulgetur. Deindè aio, illam Antiſtitis diſsimulationem neutrum penitus operari: non quidem approbationem; quandoquidem inibi expreſsè præcipitur, vt nullatenus præſtetur aſſenſus, ſine quo ſanè approbatio conſiſtere nequit: non diſpenſationem; tum quia ità cenſuit *Gloſſ. fin. in cap. cũ iam dudum, de Præb.* vbi in fine ait Pontifex, multa per patientiã tolerari, quę ſi deducta fuerint in iudicium, exigente iuſtitia, non deberent vllatenus tolerari: *Et tamen*, inquit Gloſſa, *per talem patientiam non fit diſpenſatio, arg. infrà de cognat. ſpirit. cap. ſuper eo*: tum quia ſola diſsimulatio permittitur ob ſcandalum, vt opinor, quod ex ſeparatione eius coniugij, conſuetudine approbati, exoriretur: non igitur Pontifex diſpenſat: tum denique quia, ſi diſpenſaret, vel ipſemet

Digitized by Google

ipſemet Pontifex, vel Epiſcopus, habita Papæ venia, denuò fuerat contrahendum; primum enim matrimonium nullum erat, *ad trad. per Sanch. lib. 2. diſput. 35. num. 2. & diſput. 38. num. 12. verſ. Sed hic intellectus*. Pontifex vero ait, ſolum eſſe diſsimulandum. Congruus igitur eius capitis intellectus eſſe poteſt, fore quidem eo euentu diſsimulandum, non quod matrimonium validum fuerit, cum cõtrà Canonum dirimentia impedimenta fuerit contractũ, ſolum ſuffragante conſuetudine, quæ eorum tollendorum vim nullatenus obtinet, vti crebrior Doctorum ſententia docet; ſed quia tunc coniuges bona fide exiſtimant, ſe legitimè coniugatos, eodemque modo omnis populus, cuius ea eſt conſuetudo, firmiter arbitratur: quo circa, cum ex veritatis detectione graue ſcandalum non iniuria timeatur, iure optimo Pontifex, tacendum, ac diſsimulandum eſſe ſtatuit, eoſque in matrimonio illo putatiuo, quod inuincibili ignorantia excuſatur, permittendos eſſe decernit: quod fieri poteſt, quin etiam oportet, *ad trad. per eumdem Sanch. dict. diſp. 38. num. 6.* qui hunc fermè in modum, poſt alios plures, quos laudat *ibidem num. 12. verſ. Legitimus ergo*, ſimilem Canonum conſtitutionem interpretatur, putà *cap. Quia circa, de conſang.* vbi, conſultus Innocentius Tertius de quibuſdam, qui ſubreptitia diſpenſatione cõtraxerant, hunc in modum reſpondet: *Diſsimulare poteris, vt remaneant in copula, ſic contracta, cum ex ſeparatione graue videas ſcandalum imminere*. Simile quidpiam edocent

cent Doctores agentes,num confeſſarius,qui nouit aliquos coniugatos ignorantia inualidè matrimonium contraxiſſe,eos admonere teneatur:qua de re copioſè *Sanch.ead.diſp.*38.

30 Omitto,quod pertinet ad rem noſtram, minimè deeſſe graues Doctores ſcientiam Principis exigentes,vt conſuetudo quæuis vim legis indicendæ,abrogandæve habeat,vti *Sanch.dict.lib.*7.*diſput.*4.*n.*11.ingenuè cõfitetur. Imo in Sacramentalibus expræſſam Papæ approbationem requiri, edocuit *Hoſtienſ.in ſumm.tit.de ſecund.nupt.num.*3.*& in cap. vir.num.*2.*eod.tit.vbi Henr.num.*2.*& in cap.*1.*de ſpõſal.in fin.* Et generatim deſiderari conſenſum, non tantum permittentis Principis,ſed etiam approbãtis,edocuit *Vazquez tom.*2.*in* 1.2.*diſput.*177 *cap.*2. *& Suarez lib.*7.*de legib.cap.*12.*Baſilius Pontius Legionenſis lib.*6.*de matrim.cap.*6.*num.*6. qui id colligit ex *cit. cap. ſup. reo. de cognat. ſpirit.* vti nos præſtitimus; ac præterea ex *l. de quibus , ff. de legib.* vbi non ſolum permittentis populi, ſed etiam ſuis actibus approbantis,conſenſus ad conſuetudinem requiritur. ibique nominatim auctor iſte contrà Sancium arguit,volentem ſufficere conſenſum virtute, *capit. fin.de conſuetud.* tributum. Baſilium conſule, ſi lubet.

31 **Neque vero iura, quæ *num.* 16. retulimus, huic noſtræ ſententiæ refragantur: ſiquidem ea cõmodiſsimè ità exponi queunt,vt non de dirimentibus impedimentis,ſed de futurum coniugium tan-**

tum

tum impedientibus, loqui intelligantur. Atque ita ea omnia fore interpretanda, edocuit rectiſsimè *Gloſſ. in cap. 1. verb. Niſi conſuetudo, de cogn. ſpirit.* ait enim id, quod ex iis iuribus elicitur, putà conſuetudinem, perſonas ad contrahendum legitimas, reddere illegitimas, locum dumtaxat obtinere *in contrahendo matrimonio, vt propter ſcandalum*, inquit, *impediatur matrimonium, quod alias legitimum erat; ſed nō dirimitur iam contractum propter ſcandalum, vt hic ſatis patet ex conſultatione*, (quia nimirum hæc de contrahendo, non de contracto interpoſita fuit) *& non dixit Alexander, quod coniuncti ſeparentur, ſed respondet, quod coniungi non debent, ſi ſcandalum eſt: nam multa fieri prohibentur, facta tamen manent, ſup. de iureiur. Quemadmodum aliſque*. Et hāc textus expoſitionē vocat Gloſſographus veriorē: *quia propter ſcandalum*, inquit, *matrimonium, quod, Deo auctore, in Paradiſo inſtitutum fuit, per Eccleſiam diſſolui non debet, diſt. 26. cap. Deinde opponitur.* Sed monet adhuc huic doctrinæ officere *dict. cap. ſuper eo.* quod tamen ita interpretari poſſumus, ac debemus, vt minus, quam fieri poſsit, matrimonio noceatur. Id vero fiet, ſi cū auctoribus quintæ ſententię aſſeramus, ibi Pontificem loqui, non de perpetua quoad vinculum, ſed temporali, aut etiam perpetua ſeparatione, in pœnam aduerſus cōſuetudinem contrahentium ſtabilita, quoad torum videlicet, rato matrimonij vinculo omnino manente, &, vt ſcandalum, quod ex cohabitatione oriretur, penitus præcidatur. Quæ ſanè expoſitio aliqua

tenus ex Pontificis verbis elici poteſt: non enim dicit, matrimonium fore nullum irritumque, ſed eſſe ſeparandum: id quod de temporali, vel etiam perpetua tori dumtaxat ſeparatione, non incongruè intelligi poteſt, vt minus, vt innui, coniugio noceatur, cum præſertim huiuſcemodi ſeparationis exempla in canonibus ſæpè reperiantur, vt in *cap.* 1. *de matrimon. contr. contra interd. Eccleſ.* monétque innumeri, quos laudat, ſectaturque *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 2. *nu.* 14. & nonnunquam ſeparatio abſolutè præcepta, non quoad matrimonij vinculum, ſed quoad torum intelligi debet, vt in *cap. non oportet* 2. *in fin.* 33. *quæſt.* 4. vbi Concilium Ilerdenſe præcipit, feriarum tempore contrahentes, ſeparari: nemo autem eſt, qui aſſerat, id coniugium inualidum eſſe; ſed eam ſeparationem quoad torum fore intelligēdam, omnes aſſeuerant; atque etiam ad tempus, vt ibidem, *gloſ fin.* animaduertit. Et quamuis conſuetudo, de qua præfatum, *cap. ſuper eo* loquitur, ea ſit, quæ contractum matrimonium firmitatis robur habere non ſuſtinet, vt inibi dicitur; id tamen Papa in ſua conſtitutione minimè repetit; ſed ſolum monet, coniuges eſſe ab inuicem ſeparandos, quoad torum ſcilicet, quod ſatis erat ad ſedandum ſcandalum, quod indè oriebatur, ſummuſque Pontifex præcidere procurabat. Hæc ſanè omnia hunc in modum exponere ſinit, quin etiam cogit matrimonij fauor, additque animum illorum auctoritas, qui ſolum ad tempus matrimonia à conſuetudine poſſe ſeparari (in quo om-

ties fermè conueniunt) non autem dirimi aſſeuerant.

Et hæc quoad primam aduerſariorum aſſertionē.

§. VI.

Secunda Gallica aſſertio examinatur.

52 VVLT hæc aduerſariorum aſſertio, in Gallia conſuetudinem reperiri, quæ nullatenus permittit, Principes, de quibus loquimur, præſertim Regi propinquiores, qui ſe Regni hæredes eſſe contendunt, matrimonia contrahere abſque ipſius Regis aſſenſu, minuſque eo penitus obnitente. Quæ ſanè aſſertio vt vim aliquã obtineret, debuiſſent omnino aduerſarij in ea ponere, conſuetudinē, quam tuentur, ea coniugia penitus dirimere; non vero ſimpliciter dumtaxat aſſerere, illam non permittere hęc cõnubia iniri; id enim optime intelligi poteſt, quin etiam debet, vt ea quidem illicita, non autem inualida reddat, ſi vera ſunt, vt certè cenſeri debent, quæ ipſi, *num.* 1 r. prænotauimus. quod ſi ita ea conſuetudo interpretetur, planè aduerſarijs nihil prorſus hæc ſecunda aſſertio fauet. Deindè eadem aſſertio eas omnes includere deberet conditiones, quas ipſimet aduerſarij in prima aſſertione poſuere putà quod eſſet rationi innixa, antiqua, legitima prçſcriptione roborata, ac demum ab Eccleſia approbata. Nihil tamen horum in hac ſecunda aſſertione, vbi certè aptus erat locus, ſed in tertia aſſer-

tione ea omnia ponunt. At nos hoc aptiori, vt innuimus, loco breuiſsimè oſtendemus, nullam harũ conditionum huic à Francis confictæ conſuetudini cõuenire.

33 Etenim primùm, cuinam tandem rationi ea innititur conſuetudo, quæ ipſimet naturali rationi potius aduerſatur, vti ſtatim oſtẽdemus? quæ omnimodæ matrimonij libertati à ciuilibus legibus, vt ſtatim ſubijciam, necnon & à canonibus tam acriter defenſæ penitus obſiſtit? quæ iuri naturali, diuinoq; necnon, & Pontificio, ciuilique derogat non parum, vt mox etiam probaturi ſumus? quę politicis Principibus ius illud tribuit, quod eis nullatenus competere poteſt, cum præſertim de fidelibus agamus, ac de coniugij contractu, qui ſimul eſt Sacramentũ, proindeque ad ſupernaturalium rerum ordinẽ euectus, extractuſque à ſecularium Principum iuriſdictione, non ſolum per Eccleſiaſtica iura, verum etiã per ipſummet Chriſtum Dominum, cum illum hũc in modum euexit, vti hæc omnia, aliaque huiuſcemodi ex dictis, dicendiſque elici facillimè queunt?

34 Nec dicas plurima, nec minima incommoda, ex hiſce coniugijs enaſci poſſe, reip. malo. Fateor enim, id contingere poſſe: ſed addo, huiuſmodi malis abundè ocurri poſſe, ſi eiſdem Principibus facultas tribuatur, prohibendi quidem ſub grauiſsimis pœnis hæc cõiugia, ne ſcilicet licitè cõtrahi queant; nõ verò, ne valide cõtrahantur. Quod ſi neque hoc modo malis illis occurritur (quod eſſe non

non poteſt)tunc eidem Principi facillimum erit, à Summo Pontifice poſtulare, vt legē ſanciat, ea matrimonia ita prohibentem, vt ipſa inualida reddat, vti ſuperiùs *num.* 13. explicatum eſt. Rationabilis ergo huiuſmodi conſuetudo neutiquam exiſtere poteſt. *Vide Menoch. de arbitrarÿs Iudicum lib.* 2. *caſu* 82.

35 Præterea antiqua, ſeu diuturna, ſeu legitimè præſcripta (quam enim Cæſarei Iuris interpretes, *Diuturnam*, Canonum profeſſores, *legitimè præſcriptam*, appellant, vt monuit *Rebuff. tom.* 3. *in conſtit. Reg. tit. de conſuetud. in præfat. num.* 39.) hæc Francorum conſuetudo eſſe non poteſt, quæ nuſquam eſt, nec vllo tempore cœpit: actus enim, qui ad eam conſtituendam proferuntur, ipſam nihil penitus iuuant, vti mox apertiſsimè oſtendemus: nam ſatis vulgare axioma illud eſt, *Non entis nullæ ſunt qualitates*. Sed certè, quamuis exempla hæc vera forent, præterea, immemoriale quoque tempus in re noſtra exigeretur: hoc enim prudens cuiuſque iudiciū, & arbitrium, requireret, vt in re tanti ponderis conſuetudo robur obtineret: ſiquidem, etſi diſcrepent non parum Doctores, inquirentes, quodnam tandē tempus conſtituendæ diuturnæ conſuetudini requiratur, vt animaduertere licet apud *Menoch. dict. lib.* 2. *caſu* 83. *ac Baſilium Legion. lib.* 6. *de matrim. cap.* 5. ſatis tamen aptè nonnulli volunt, id iudicis arbitrio fore relinquendum, cum illud tempus lege definitum minimè reperiatur, vt edocuit *Vazquez tom.* 2.

in

in 1.2. diſput. 177. cap. 5. Cuiac. Coraſ. Ant. Fab. Duar. Oſuald. quos retulit, ac ſequutus eſt Baſil. dict. cap. 5. nu. 9. Sed in rebus multum grauibus, inquit *Menoch. d. caſu 83. num. 9.* arbitrabitur iudex, conſuetudinem eſſe firmatam ſolo tempore, cuius memoria apud homines non exiſtat; vt putà; cum aduerſus Principi reſeruata conſuetudo inducitur. *Ità ex cap. ſuper quibuſdã, §. præterea, de verb. ſignif. tradunt Butr.* Imol. *Abb. ibi. num. 11. in fine, in cap. vlt. de conſuet.* Iaſon *in l. de quibus, ff. de legib. num. 45. Crauet. de antiq. temp. 4. part. princip. initio, num. 11. & in 2. particul. dict. 4. p. princip. num. 13. innumerique alij apud Maſcard. lib. 1. de probation. concl. 424. num. 40. & ſeq.* Atqui poteſtatem, qua de loquimur, Papæ hodiè eſſe reſeruatam *infra §. 9.* vberrimè oſtendemus. Quin imo non poſſe conſuetudine ea quæri, quæ ſunt ſpecialiter reſeruata, monuit, poſt alios, *Bertach. in repert. verb. conſuetudinis effectus, num. 10.* &, ſi conſuetudo Eccleſiam plurimum lædat, radicitus extirpanda erit, *cap. 1. cuncta gloſſa de conſuet.* At vero quis hominũ hodiè ad hanc immemorialem oſtendendam tot actus proferre poſſet, in quibus per hominum memoriam ita fuiſſe obſeruatum conſtaret, iuxta doctrinam *Crauet. loc. cit. cap. 4. ſeu §. Materia ſingularitatis, num. 23. Maſcard. dict. concl. 424. num. 21.* cum nemo hodiè reperiatur, qui ann. 1492. extiterit, quo ſanè tẽpore vltimus actus peractus eſt. Neque dicas, hiſtorijs hanc immemorialem iure optimo probari: etſi enim nonnullam fidem hiſtoricis iuriſperiti tribuant

buant apud *Maſcard.cōcl.287.lib.1.* vim tamē inducendæ conſuetudinis quis illis impertiatur, cum, nonniſi multis concurrentibus, Doctores publicis inſtrumentis eam tribuant, apud eumdem *Maſcard. concl.425.lib.1.*

36 Atque hoc etiam loco annotandum eſt, neque tres illos actus, ab aduerſarijs prolatos, etſi veri eſſent, reique, de qua agimus, apti, ſatis fore, vt hæc conſuetudo in re tanti momenti roboretur, ſeu præſcribatur: quamuis enim minime Doctores conueniant, quot actibus conſuetudo induci queat; verior tamen opinio eſt, ſi credimus *Menoch. lib. 2. de arbitr. caſu 81. num.4.* id iudicis arbitrio relinqui, vti etiam poſt alios edocuit *Suar. dict. lib. 7. de legib. cap. 10. Baſil. d. lib. 6. cap. 6. num. 1.* quis autem prudens rerum æſtimator, ac iudex, arbitraretur, in re noſtra, quæ tanti ponderis eſt, tres illos actus inducendæ conſuetudini ſuffecturos, atque ita Summæ Pontificis poteſtati hiſce tribus tantum actibus, octingētorum annorum curriculo peractis, derogatum? quis etiam cenſeat, ex furtiua hac vſurpatione, Eccleſiæ potuiſſe præiudicium generari, cum proculdubio emendādum foret, quod non cōceſsione Romani Pontificis, ſed ſola ſurreptione præſumptum eſt, vti aiebat *Gregor. in cap. illud autem, diſt. 93?* Cum præſertim tot in probanda conſuetudine requirantur, vt veriſimiliter, inquit *Rebuff. tom. 3. cit. in conſtit. Reg. tit. de conſuet. art. 2. gloſſ. 3. num. 10.* tranſiuerit in populi notitiam, & tacitum illius conſenſum;

atque

Digitized by Google

atque hoc idem iudicis arbitrio relinqui ait, *ex pluribus probatis actibus, Panorm. aliſque in dict. cap. fin. de conſuet. & eſt communis opinio.* Quis autem opinetur, actus, de quibus loquimur, inter ipſoſmet Reges peractos, ita deueniſſe ad populi notitiam, vt is conſuetudinem hanc introducere voluerit, Eccleſiæ poteſtati derogantem, per eiuſcemodi actus, quos non ſolum, quippe à Regibus explicitos, ipſe populus impedire non poterat; verum etiam illis, vel inuitus, aſſentiri cogebatur, ob hanc eãdem, quam tetigimus rationem, proindeque omnimoda, ac neceſſaria libertas ad eam inducendam omnino defuiſſet? Omitto huiuſmodi conſuetudine populo nihil penitus iuris acquiſitum; cum tamen conſuetudinis munus ſit toti populo acquirere, non priuato ſolum, (vti in re noſtra Rex Galliæ foret) quod præſcriptio facit, vt, poſt alios, monuit *Rebuff. loc. cit. in præfat. num. 1.* Neque hinc inferas, hiſce actibus Francorum Reges ius, de quo agimus, ſaltem preſcripſiſſe: Nam conſultò aduerſarij non præſcriptioni, ſed conſuetudini innituntur, animaduertentes ius iſtud, vti ſpiritale, ita impreſcriptibile ab omnibus exiſtimari. *Cap. cauſam de præſcript.* etſi, ob eamdem penitus rationem, neque conſuetudine quæri à laico queat, *cap. Maſſana, de electione, cum concord.* Certè ſi hac in re preſcriptio locum obtinere poſſet, cuncta prorſus Eccleſię iura, et etiam ſpecialiter reſeruata, duobus, tribuſve actibus, præſertim à ſeculi Principibus, præſcribi faciliime poſſent:

quod

quod tamen abſurdiſsimum eſt, nedum cum ijs pugnat, quæ antea retulimus. quamuis autem plurima ſint diſcrimina, quæ à Doctoribus inter conſuetudinem, ac præſcriptionem agnoſcuntur, de quibus *Rebuff. loc. cit. in præfat. num. 14. & ſeqq. & Crauet. de antiq. temp. part. 4. cap. 1. ſeu §. 1.* ea tamen fermè omnia, quæ hoc loco contra conſuetudinem tradimus, præſcriptionem etiam euertere poſſunt.

37 Addiderim quoque, præfatam conſuetudinem, ab aduerſarijs confictam, plures pati defectus, minimè contemnendos, quorum aliqui ex iam traditis facili negotio elici poſſunt. Etenim primũ legitima, perfectaque conſuetudo exigit, vt, qui eã introducere volunt, ſic faciendi poteſtatẽ habeant, & auctoritatẽ, cum lex non ſcripta ſit; legem vero ferre nemo poteſt, niſi eam condendi poteſtatẽ obtineat. id quod tamen in re noſtra penitus deeſt, vt antea annotauimus. Item eorum voluntatem exigit, qui illam introducunt, puta vt ab his eo animo actus fiant, quò illa inducatur. quod etiam deficit in re noſtra: tum quia, neque à populo ij peracti ſunt; tum quia, neque illos ipſe impedire poterat. Rurſus eorum ſcientia, ac patientia ſaltem, neceſſaria eſt, qui ea conſuetudine lædi queunt. quę etiã in Francorum conſuetudine defuiſſent; cum alterutram ſaltem adfuiſſe ipſi, quorum eſt onus, minimè oſtendant. cum præſertim ſæpè Pontifices in factis Magnorum Principum conniueant, vt maiora mala euitentur, quemadmodum, nõ ſolum priſcarum re-

rum monumentis, verum etiam quotidiana experientia edocemur. Præterea requiritur etiam actuū, & quidem ſpecificorum frequentia, non autem difformium, ac diſsimilium, neque quorum vnus, vt in re noſtra accidit, ab alio ſexcentis, aut ſeptingentis annis, diſtare perſpiciatur, cum ex ijs populi conſenſus aptè colligi nequeat; quemadmodum neque ex pluribus actibus, eodem die peractis, elici poteſt, *vt, poſt Bart. in l. de quibus num. 12. & in repeti. eiuſd. legis, num. 17. ff. de legib.* omnes confitentur: neque frequenter id fieri dicatur, quod ſeptingentis annis interuallatum eſt, quodque tres ſolum actus in tot annorum curriculis explicitos comprehendit: frequentia enim, non ſolam actuum multitudinem, ſed tempus quoque, boni viri arbitrio continuum, requirit. De his autem fermè omnibus *vide Menoch. conſ. 545. numer. 20. & ſeqq. lib. 6. & conſil. 907. num. 47. & ſeqq. lib. 10. Surd. deciſ. 131. num. 8. & ſeqq. alioſque apud ipſos.* in quibus equidem explicandis non immoror, quia, vti perſpicua ſunt, ita nobis minimè neceſſaria: ſolum ea leuiter tetigi, vt inde quiſque argumenta contra aduerſariorū conſuetudinem deſumere queat.

38 Denique hanc eamdem, quam tuentur cōſuetudinem, aduerſarij minimè probant, eſſe Eccleſiæ auctoritate roboratam, ſaltem tacitè, cum neque illius ſcientiam, ſiue notitiam, neque patientiam oſtendant; ac ſola diſsimulatio non ſufficiat, quin etiam expreſſa approbatio requiratur, vti

Digitized by Google

vti hæc omnia *ſupra num. 26. & 27.* annotaui-mus.

39 Sed, præter hæc, aliud includeret hæc Francorum conſuetudo, ſi vera foret, quod ipſam euerteret omnino, inanemque, atque inualidam redderet: Etenim, præter contrahentium conſenſum, alterius, putà Regnum poſsidentis, (ſiue tanquã Principis, ſiue tanquam priuati hominis) requirit aſſenſum, ſiue vt quid matrimonio eſſentiale, ſiue vt quãdam conditionem, eius valori neceſſariam: id quod diuino iuri, necnon & Pontificio, ciuilique, atque ipſimet naturali rationi aduerſari, quiſpiam aſſerere poſſet.

40 Et diuino quidem, quia *Geneſis 2.* Deus, coniugium inſtituens: *Propter hoc*, inquit, *relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ Matth. 19. Marci 10. ad Epheſ. 5.* quib. ſanè locis ſatis innuitur, neque parentum neceſſarium eſſe conſenſum, vti omnes fermè Catholici indè rectiſsimè eliciunt; proindeque ſolum contrahentium aſſenſum requiri, cum, vel ipſis parentibus inuitis, contrahi coniugium permittatur. hinc vero factum eſt, vt eædem ſacræ literæ vxores paſsim eas vocet, quas Eſau duxit, putà Iudith, & Baſemath, Iſaacho, ac Rebecca, eius parentibus inuitis, quippe quæ horum amborum animum offenderant, *Geneſ. 26. in fine*: & *ex cap. 28.* ſatis colligitur, eum tertiam accepiſſe vxorem, putà Maheleth, contra eorumdem parentum voluntatem; neque tamen Iſaac ea coniugia irritauit,

vti etiam *Bellarm. d. tom. 2. lib. 1. cap. 19. propoſ. 2.* animaduertit. Rurſus Iacob Patriarcha ſanctiſsimus, vnam quidem vxorem, ſcilicet Rachel, vel Liam, parentum conſilio, ſeu mauis præcepto duxit; tres vero alias, ac præſertim duas ancillas, puta Zelpham, & Balam, inſcijs omnino parentibus, accepit, *vt ex Gen. 29. & 30.* elici poteſt. Deniq; Tobia validè cum Sara, etſi ignorantibus parẽtibus, matrimonium contraxit, fuitque illud Deo, Angeloque, acceptum, *Tob.* 7. Sed præſertim, ſi Eſau exemplũ iuxtà aduerſariorum doctrinam, antea *num. 6.* propoſitam, intelligatur, putà, quod Iſaac in hoc negotio, non vti pater, ſed vti ſuperior, ac Patriarcha, ſe geſſerit; proculdubiò nobis plurimũ fauet, vt quilibet facillimè animaduertere poteſt. Ipſi tamen hiſce Scripturæ locis illud euincere contendimus, ſolum contrahentium aſſenſum ſufficere ad matrimonij valorem, ita vt neque ipſorũmet parentum conſenſus exigatur, proindeque minus aliorum, qui, etſi Principes ſũmi, attamẽ nõ tãtã in ſubditos, vti parentes in filios, ſaltem hac in re, obtinent poteſtatem, vt ipſimet aduerſarij agnoſcere videntur dũ *d. num. 6.* aiunt, Abrahæ præceptum, non vti patris, (de quo ſcilicet videtur certum, id præcipere poſſe, alioqui ea obiectionis præoccupatio inutilis, ac ſuperflua foret.) ſed tanquam ſuperioris, ac Patriarchæ fuiſſe interpoſitum.

41 Pontificio autem iuri illud aduerſatur, tum quia canones expræſsè ſtatuunt, parentum conſenſum

ſum ad matrimonij valorem, à filijs initi, minimè requiri, putà, *cap. tum virum de regul. iuſ in. cap. tuæ de ſponſ. cap. cum cauſa de rapt.* alijsque iuribus, quæ ſecuta eſt *Trident. Synod. Seſſ. 24. cap. 1. de reform. matr.* quam ob rem, & hoc loco ratio antecedenti numero ex Sacris literis deprompta redire non incõgruè poteſt: tum quia ijdem canones diſertis verbis decernunt, ſolum contrahentium conſenſum ad coniugium requiri, ac ſatis eſſe, *vt cap. ſufficit. 27. q. 2. c. cum apud, de ſponſal. alibique.* Si ergo ſolus horum aſſenſus ſufficiens eſt, alius certè requiri non poteſt: tum quia eodem canonum iure, ſeruorum coniugia valida ſunt, etſi inuitis dominis contracta, *cap. 1. de cõiug. ſeruor.* atque ita omnes prorſus Theologi docent; cum tamen procul dubio maior ſit dominorũ in ſeruos, quam ſuperiorum, ſeu Principum, in ſubditos auctoritas, ac poteſtas. Vide quæ ipſi tradidimus, *dict. reſp. 16. lib. 1.* & nouiſsimè *Baſil. de matrim. à cap. 1. lib. 2.* Certè ita Eccleſia abſurdum ſemper exiſtimauit ad matrimonij valorem requiri aliorũ, quam contrahentium, conſenſum, vt quamuis filiorum coniugia, ſine parentum conſenſu inita, nõ ſecus ac clandeſtine contracta, ſemper deteſtata ſit, *Trid. Seſſ. 24. cap. 1. de reform. matrim.* attamen, etſi clandeſtina irrita reddiderit; inuitis tamen parentibus celebrata, rata eſſe voluit, tametſi illicitè contracta. Hinc etiam voluit, Parochi quidem requiri præſentiam, videlicet humanam, quæ rationis vſum, atque aduertentiam includit, non verò voluntatis

conſenſum exigi, vt matrimonia coram ipſo, ac teſtibus inita, valida ſint, vt rectè poſt alios oſtendit *Sanch. lib. 3. diſp. 39. à num. 7. alijque neoterici paſsim.* Nimirum, ſi quandoque ab aliorum, quam contrahentium conſenſu, matrimonij valor dependeret, ſanè contingere poſſet, vt quiſpiam inuitus matrimonio in perpetuum priuaretur, quod in cõcupiſcentiæ remedium poſt Adami lapſum, à natura, ſiue à Deo, naturę auctore, inſtitutum eſt; nec nõ ad vitam cælibem perpetuò traducẽdam inuitus quoque obſtringeretur, contra *cap. integritas* 32. *quæſt.* 1. Id autem accideret, ſi is, cuius conſenſus requireretur, nunquam penitus conſentire vellet.

42 Obſiſtit quoque illud idem Cæſareo iuri, quod ita libera vult eſſe coniugia, vt conditionem, ac grauamen nubendi alterius arbitrio, licentia, vel cõſenſu, penitus reijciat, ſtatuitque, ea omnino neglecta, hęreditatẽ, legatũve, ea lege relictũ omnino deberi, vti recte monuit *Ioa. Bapt. de Plotis, conſ.* 87. *num.* 12. *inter conſ. matrim. Zeletti ex l. filiæ ſuæ, ibiq; gloſ. Bart. ac Doct. ff. de condit. & demonſt.* alijſque, ſed præſertim legẽda eſt, *l. cum tale, §. ſi arbitratu, ff. eod.* vbi: *ſi arbitratu Titij Seia nupſerit, hæres meus ei fundum dato: viuo Titio, eam ſine arbitrio Titij nubentem legatum accipere reſpondendum eſt*, inquit Papinianus, *eamq; legis ſentẽtiam videri, ne quod omnino nuptijs impedimentum inferatur: ſed ſi Titius, viuo teſtatore, decedat, licet conditio deficit, quia tamen ſuſpenſa quoq; pro nihilo foret, mulieri ſuccurretur.* Vbi quidem, *gloſ. verbo inferatur*, alia iura, idem fermè ſtatuentia, laudat.

Digitized by Google

dat. Hinc elicuit idem *Plotus n.* 13. ſtatuta, conſtitutiones, aliaque huiuſcemodi decreta, quæ matrimonia fieri prohibent abſque parentum, aut fratrũ, aut agnatorum, conſenſu, omnino inualida eſſe, eo quod matrimonia omnino libera eſſe debent; eaque contra hanc libertatem condita cenſentur; ac ſunt quoque coniugia res ſpirituales, in quibus ſecularis magiſtratus iuriſdictionem nullatenus habet; proindeque infert idemmet auctor, neque pænas virtute eorum ſtatutorum exigi poſſe; deberique legata, dotes, donationes propter nuptias, hæreditates, ac dotium lucra, etſi ſtatuta illa ſeruata nõ ſint in matrimonijs cõtrahendis, quæ alioqui, nõniſi his ſeruatis, ea omnia deberi decernunt, laudat *Alexãd. conſ.* 97. *vol.* 1. *Ancha.* 21. *Cur. Sen.* 27. *Dec.* 331. *Sum. Angeli verb. matrimonium*, Ioan. *Andr. Dom. alioſque* de qua tamen re ipſi egimus, *dict. lib.* 1. *reſp.* 16.

43 Rationi denique illud ipſum aduerſatur nõ ſolum, ſi Regis, vti priuati hominis, conſenſus hac in re requiratur, quod certius eſt, verũ etiam, ſi tanquam Principis, talis aſſenſus exigatur. Primum quidem, quia homo in ijs, quæ pertinent ad matrimonium *valide* contrahendũ per ipſorũ dũtaxat contrahentium conſenſum, nulli penitus politicorum Principum ſubditur poteſtati. Nequit igitur horum conſenſus in contrahendo coniugio vllatenus requiri: quæ ſanè conſecutio euidens eſt: nullo enim alio nomine is exigi poteſt. Aſſumptum vero oſtẽditur, primum quidem, quia, cũ omnis prorſus poteſtas

teſtas à Deo ſit, vti docuit *Apoſtolus ad Roman.* 13. proindeque illam quoque, quam in ſubditos Principes obtinent, ab eodẽmet Deo ortum ducere fatendum ſit; ſit ſanè conſequens, vt huiuſce poteſtatis limites ex ipſiuſmet Dei, illam tribuentis, intẽtione deſumendi ſint. Atqui Dei voluntas, & intẽtio ea fuit, vt illa poteſtas in ijs, quæ pertinent ad matrimonia contrahenda, minimè eã vim obtineret, vt illa rata, irritave facere poſſet, ob adhibitum videlicet, vel negatum Principum conſenſum, cum generatim Deus neque ipſorummet parentum, aut Dominorum, aſſenſum, ſed ſolum contrahentium hac in re requiri decernat, vti antea, *nu.* 40. admonuimus. Quam ſanè Dei voluntatem iura quoque canonum explicuiſſe cenſendum eſt. Cum præſertim id poteſtatis eos obtinere rectæ Regnorum adminiſtrationi, ac regimini, neceſſarium minimè foret, vt prænotatum eſt. Deinde, poſt legem Euangelicam matrimonij contractus, inter fideles celebratus, non in rerum naturalium, ſed ſupernaturalium ordine reperitur, proindeq; extra limites humanę, ac ſecularis poteſtatis, vt ipſamet naturalis ratio dictat. Rurſus ſicuti homo quoad ea, quæ ad indiuidui operationẽ pertinent, Principis voluntati non ſubditur, ita & quoad ea, quæ ad ſpeciei conſeruationem, per generationem aſſequendam, ſpectant, minimè ſubijciendus erit, cum nulla prorſus in vno, quã in alio potior ratio perſpiciatur. Quemadmodum ergo ſubditus Principi neutiquã ſubijcitur

Digitized by Google

citur, quin liberè comedere, ac dormire, aliaq; huiuſcemodi, eo quoque inſcio, vel inuito, quæ ad indiuidui conſeruationem ſpectant, facere queat; ita & illi minimè ſubditur, quin liberè, valideque matrimonium cõtrahere poſsit, etſi Princeps ipſe omnino renitatur; cum id ad ſpeciei conſeruationem pertineat. Atque hac eadem fermè ratiocinatione *S. Thom. in ſuppl. 3. part. quæſt. 52. art. 2.* probat, ſeruorum coniugia, inuitis quoque dominis, valida eſſe. Et id ipſum fermè eſt, quod idem Sanctus Doctor 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. *in corp.* edocuerat, puta omnes prorſus homines natura pares eſſe in ijs, quę pertinent ad corporis ſuſtentationem, & prolis generationem. Vndè non tenentur, inquit, nec ſerui dominis, nec filij parentibus obedire de matrimonio cõtrahendo, vel virginitate ſeruanda, vel aliquo alio huiuſmodi. & hæc quidem omnia attulit, vt probaret, non teneri ſubditos ſuis ſuperioribus in omnibus obedire, vt in ijs, quæ ad naturam corporis ſpectant, in quibus, ait, homo homini obedire nõ tenetur, ſed ſolum Deo; quia omnes homines natura ſunt pares, puta in ijs, quæ pertinẽt ad corporis ſuſtentationem, & prolis generationem. Cuius ſanè vlterior ratio ea eſſe poteſt, quam ipſemet Sanctus Doctor tetigit, *dict. quæſt. 52. art. 2. in corp.* quia ſcilicet ius poſitiuum à iure naturali progreditur: atque adeo ciuilis dominatus, qui iuris eſt poſitiui, ijs præiudicare non poteſt, quę iuris naturalis exiſtũt: cuius quidem rei exempla cum in indiuidui opera-

 tion-

tione, tum in ſpeciei operatione ponit. Præterea ſolus homo in ſua generandi facultate, alijſque naturalibus, dominium habet; quarum ſanè poteſtatē, ac dominium Princeps nullatenus habet, ita vt ſubditum earumdē vſu priuare queat; exempli gratia ne vnquam videat, ne comedat, &c. Poterit ergo ſubditus de ea generandi facultate abſque Principis cōſenſu, quin etiam cum eiuſdem diſſenſu, tanquam de re ſua validè diſponere, puta eam alteri tradere per coniugij contractum, etſi de reliquo id ipſum quandoque contra Principis prohibitionem illicitè fiat. quo ſanè argumento pro filiorum coniugijs vſus eſt *Valent. tom. 4. in 3. part. diſput. 10. quæſt. 3. punct. 6.* qui hac in re conſulēdus erit: vberiùs enim explicat tum hāc, tum antecedentē S. Th. rationē: nobis ſatis fuit eas leuiter breuitatis gratia tetigiſſe.

44 Neque dicas, poſſe Principem irritos reddere ſubditorum contractus, vti minoris, pupilli, abſque curatoris, ſeu tutoris auctoritate contrahentium. Idem igitur in matrimonio exequi poteſt. Ne, inquam, id dicas: ſiquidem primùm rectiſſimè probat *Sanchez lib. 6. de matrim. diſp. 38. à num. 19.* eos omnes contractus non ipſo iure irritos eſſe ſed reſcindendos, proindeque naturalem parere obligationem, etſi non ciuilem, ideoque non omnimodè efficacem. Deinde bona iſtęc externa, quorum adminiſtratio quibuſdam à Principe interdicitur, ſubiecta omnino ſunt ciuili, ac politicæ gubernationi ſuperiorum, qui circa ea aliqua diſponere

queant,

queant, prout viderint expedire: quam obrẽ & eorum adminiſtrationem adimere poſſunt, & contractus circa ea initos, ſi certo modo fiant, ratos habere, ſecus vero factos, irritos decernere, nulliuſque momenti: at vero circa generandi facultatem, ceteraſque naturales nullam Princeps obtinet poteſtatem, proindeque cõtractus, circa eam initi, eius poteſtati nullatenus, ſaltem quoad valorem, ſubijciũtur, certè, ſi ita ei ſubdi poſſent, vt Principis cõſenſus ad eorum robur requireretur, abſque dubio poſſet ipſemet Princeps perpetuò ſubditos eius facultatis vſu priuare; ſi ſcilicet nunquam eorum matrimonijs aſſentiretur: quod abſurdiſsimum eſt, vt antea admonuimus. In re vero noſtra addendum eſt, hodiè fidelium coniugium, ad rerum ſupernaturalium ordinem à Chriſto Domino euectum, ad politicam, ac ſecularem poteſtatem non poſſe vllatenus pertinere. Præterquam quod in ijs omnibus contractibus perfectus vndequaque conſenſus à legibus exigitur, qualis proculdubio non eſt minorũ, ac pupillorum, *l. 1. ff. de minor.* *monuitque Salm. de reditib. p. 1. cap. 2. num. 3. Sanchez dict. diſput. 38. n. 36 verſ. Secundo reſpondetur*, ad matrimonij vero cõtractum ſatis omnino eſt qualiſcunque conſenſus, modo ſit liber, puta à ratione deliberata profectus, neque enim neceſſariò exigitur conſilij maturitas, vt ait *Bellarm. dict. lib. 1. de matrim. cap. 19. verſ. Tertio probatur poſt initium*. Sed ſolus liberi arbitrij vſu s requiritur, ſufficitque, qualis etiam requiritur, ſatiſq;

eſt ad peccandum, ad merendum, ad vouendum, &c. alioqui matrimonia paſsim dirimendi occaſio præberetur: quocirca ſolam pubertatem in contrahentibus canones requirunt.

45 Certè, ſi à ceteris contractibus ad hunc, quo de loquimur, argui poſſet, illud etiam aperte euinceretur, poſſe videlicet humanis legibus iam initum cõiugium, validumque, poſtea omnino diſſolui, reſcindique; quemadmodum & id ipſum in alijs quibuſdam contractibus, humana iura decernunt. quin poſſe eoſdemmet contrahentes communi, mutuoque conſenſu, ab huiuſcemodi matrimonij cõtractu penitus reſilire; cum omnibus alijs cõmune ſit, id contrahentes exequi poſſe; nihil enim tam naturale eſſe, legumlatores arbitrantur, quam eo genere quidquam diſſoluere, quo colligatũ eſt, ideoque nudi conſenſus obligationem contrario conſenſu diſſolui, docẽt, *l. nihil tam naturale, ff. de regul. iur. §. hoc amplius inſtit. quib. mod. toll. oblig.* Quis verò iſtæc aſſerat Catholicus Doctor? hi certe omnes pro matrimonij indiſſolubilitate acerrime propugnãt, *vti Bellarm. dict. lib. 1. controuer. 4. à cap.* 12. *Valent. dict. tom. 4. in 3. part. diſput.* 10. *quæſt.* 1. *punct.* 7. *Sanchez lib. 2. diſput.* 13. *Gaſpar. Hurtad. tom.* 3. *de Sacram. tract. de matrim. diſput.* 8. *Baſil. lib.* 1. *de matrim. cap.* 12. 13. 14. alijque paſsim; etſi diſcrepent nonnihil, quonam tãdem iure matrimonium indiſſolubile cenſeatur, nũ ſcilicet diuino naturali, atque ex ipſiuſmet matrimonij natura, an ſolum

diuino

Digitized by Google

diuino positiuo, an ipſa Sacramenti ratione, ſignificationiſve, num demum eccleſiaſtico iure: quamuis crebrior ſit eorum ſententia, etiam quoad matrimonium ratum, id ex diuino iure, ſiue naturali, ſiue poſitiuo, aliquatenus prouenire; & , ſi de conſummato loquamur, certum eſſe in omni prorſus ſententia, ſaltem diuino iure poſitiuo indiſſolubile eſſe matrimonium conſummatum, monuit *Hurtad. loc. cit. diffic. 3. initio, & Sanch. loc. cit. nu. 2. ex Matth.* 19. 1. *ad Corinth.* 7. *& ad Rom.* 7. qui quidem auctor *ibid. num. 3. poſt Abulenſ.* 1. Reg. *cap.* 8. *quæſt.* 45. *&* 192. *in fine*, inde infert, infidelium quoque matrimonium conſummatum indiſſolubile eſſe, cum lex Chriſti omnes penitus obſtringat; etſi de reliquo id etiam quoad vinculum ſolui queat, ſi coniugum alter ad fidem conuertatur, atque alter ei cohabitare nolit ſine iniuria Creatoris, vt Doctores loquuntur: idque apertè conſtat *ex* 1. *ad Corinth.* 7. ibi, *ſi infidelis diſcedit, diſcedat &c. cap. ſi infidelis* 28. *quæſt.* 2. *cap.* 4. *& cap. gaudemus, de diuort.* Sed id ex Chriſti Domini diſpenſatione, per Apoſtolum explicata, contingit: quamobrem tunc matrimonium illud, non ab homine dirimi, ſed à Deo, cuius interpretẽ habemus Apoſtolum Paulum, rectè *Bellarminus* animaduerterit. Nimium igitur probaret argumentũ ab alijs contractibus coniugij contractui adaptatum; proindeque nihil penitus probare cenſendum eſt, vt Doctores omnes in huiuſcemodi caſibus rectiſsimè monent.

Hiſce

46 Hiſce quidem omnibus, quæ hactenus à *n.39.* tradidimus, illud certè euinci videtur, Principem quemcunque politicum, ac ſecularem, cenſeri penitus incapacem eius iuris, quod Franciæ Regi ea ſecunda aſſertio appingere contendit: huic enim rei ratio ipſa, ac iura omnia refragantur. Hinc vero elici poteſt, neque conſuetudinem Principi cuipiã illud iuris tribuere poſſe, refragante videlicet naturali, diuinoque iure, Põtificio, Ciuilique, atque obſiſtente penitus ratione: Etſi enim conſuetudinis, vſuſq; longæui non vilis ſit auctoritas; verum non vſque adeo ſui eſt valitura momento, vt, aut rationem vincat, aut legem, *cap. conſuetudinis, diſt.* 11. *vide diſt.* 8. quo igitur modo ea introducere poteſt, vt ad matrimonij valorem, non ſolum cõtrahentium, ſed Principum quoque ſecularium conſenſus requiratur: id quod omni iuri, ac rationi repugnat, vt ſatis hucuſque probatum eſt, cum præſertim populus expræſsè per ſtatutum id iuris ſeculi Principibus tribuere nequeat; vt generatim omnes edocent, eũdem populum nequire ſtatuta condere, quæ adimant matrimonio valorem: ac proindè minus id tacitè per conſuetudinẽ exequi poteſt *ad trad. ſup. n.* 22. vndè hac in re, neque ex parte tribuentis, poteſtas; neque ex parte recipientis, capacitas inuenitur. Quibus addi etiam & alia, haud incongrua ratio, poteſt, quia, vbi adeſt contrahentium cõſenſus, inibi coniugio nihil penitus eorum deeſt, quæ ad illius eſſentiam ſpectant: verum igitur, ratumque, atque

que adeo indiſſolubile matrimonium erit. Huiuſce enthymematis aſſumptum, ſeu mauis antecedens, oſtenditur, quia, cum contrahentium conſenſus adſit, miniſtri quoque, qui ipſimet ſunt, intentio reperitur; adeſt materia, quę ſunt ipſorũmet contrahentium perſonæ, adeſt denique forma, puta mutui conſenſus ſigna, verbave: quid igitur deeſt? Hac fermè eadem ratione vſus eſt *Bellarm. d. lib. 1. c. 19. verſic. Tertio probatur*, ad oſtendendum filiorum coniugiũ, parentibus inuitis, initum, eſſe validum, ratumque: ibique eam latius confirmat. qua tamen ante ipſum mihi videtur vſus *Magiſter in 4. diſt. 28. ac S. Thom. ibid. quæſt. 1. art. 3. in arg. ſed contra. 2. & in corp. quæ à ſupplementi collectore ponitur, quæſt. 45. art. 5.* Bellarminus autem, quæ huic rationi obijci poſſunt, loco citato diſſoluit.

47 Ex his autem omnibus, hoc §. 6. expoſitis, illud vltimo loco, contra aduerſarios fore eliciendũ arbitror; nullam videlicet earum opinionum, quas *num.* 17. retulimus, poſſe eos deligere, quæ ipſis ſuffragetur. Etenim prima expręſſam exigit Pontificis approbationem. Secunda cõſuetudinem requirit, ſcandalo comitatam, mixtamque laicorum, & clericorum: quæ ſanè in ſua conſuetudine reperiri ipſi minimè demonſtrant. & certè, quod ſcandalum ſuboriri poteſt, ſi quiſpiam, regio prognatus ſanguine, alicui, præſertim regio quoque ſanguine prognatæ, matrimonio copuletur, quamuis id, obnitente Rege, exequatur? quam etiam ob cauſam, neque

ijs

ijs tertia ſententia fauet, quæ ſcandalum etiam requirit: ac præſertim *Azpilcueta*, qui, non ſolum id exigit in contractione, vt ipſe loquitur, matrimonij, ſed etiam in perſeuerantia in illo. Quarta vero, non ſolum eam ſcandalo comitatam exigit, ſed etiã antiqui iuris adminiculo communitam: quod ſanè aduerſariorum conſuetudini penitus deeſt. Quinta vero ijs vndequaq; refragatur. Sexta denique mixtam exigit laicorum, & clericorum: idque ſuæ conſuetudini ipſi conuenire minimè probant.

Moneo denium, hæc prorſus omnia, quæ hucuſque tradidimus, abũdè à nobis dicta: ſiquidem hæc conſuetudo à Francis conficta eſt; neque enim exẽpla, quæ hi proferunt, ei vllatenus fauent, vti ſubijcio, ac planè demonſtro.

§. VII.

Exempla aduerſariorum perpenduntur.

48 ETenim, quod ſpectat ad primum Balduini, ac Iudithæ exemplum, quo aduerſarij *dict. n. m.* 7. vſi ſunt, res ſe habuit hunc planè in modum. Balduinus quidam nobilis, *vti ex alijs refert Card. Baron. tom.* 10. *Ann. Eccleſ. ann.* 862. *verſ. His acceſſit, quod Balduinus, fol. mihi* 230, qui Ferreus nũcupatus, & Flandriæ Comes fuit, Caroli Calui vaſſallus, huius filiam viduam, Iudith nomine, rapuit, vt eam in vxorem haberet. Hac de re conquerens Carolus *apud eumd. Baron. ibid. verſ. Quando altera*

vice,

Digitized by Google

vice: Filiam, inquit, *noſtrum Iudith, viduam ſecundum leges Diuinas, & mundanas ſub tuitione Eccleſiaſtica, & regionum de Burge conſtitutam, Balduinus ſibi furatus eſt in vxorem; quem poſt legale iudicium Epiſcopi Regni noſtri excommunicauerunt, ſecundum ſacros Canones, & definitionem ſancti Gregorij Papæ, qui dicit: Si quis viduam furatus fuerit in vxorem, ipſe, & conſentientes ei, anathema ſint.* Balduinus gemens, ac dolens, Romam ad Nicolaum I. Pontificem ſe contulit, illum interpellans, vt ſuis precibus conciliaret ſibi Carolum, quem iuſta cauſa infenſiſsimum pateretur, antequam, deſperatione victus, ad Northmannos confugere cogeretur. Præſtitit Nicolaus (Baronij verba ſunt, *loc. cit. verſ. dedit eiſdem legatis, fol. 236. & 237.*) miſericordis patris officium, prodigi filij, peccatis ſuis in deterius prolabētis, commiſeratus, & literas hac de re ad Carolum ſcripſit, vbi inter alia, hæc ait: *Ad noſtrum Pontificium Balduinus vaſſallus veſter ardenti animo accedere ſtuduit, qui veſtram ſe habere indignationem, eo quod Iudith filiā veſtram, illum præ ceteris diligentem, ſine veſtræ voluntatis cōſenſu, in coniugium elegerit, eamque volentem acceperit, ore proprio retulit.* Item ad Reginam Hermētrudam, Iudithæ matrem, ſcribens idemmet Pontifex ait, Balduinum Iuditham contra diuinarum legum ſanctiones rapuiſſe. Tandem ann. 863. Balduinus à Carolo in gratiā receptus eſt: id quod apertè docent, auctore *Baron. dict. ann. 863. verſ. Porro ipſum Balduinum, fol. 269.* eiuſdem Nicolai literæ ad

eumdem Carolum Regem redditæ, quibus ipſi Pō-tifex eo nomine gratias agit: quod & Hincmari Rhemenſis Antiſtitis epiſtola ad eumdem Nicolaum Papam, quæ recitatur *à Frodoardo* (ſeu, vt alij placet, Flodoardo) *Hiſto. Rhemenſis, lib. 3. cap. 11. vel 12.* plenius oſtendit: vbi Hincmarus, Pontificem alloquens; *Interim*, inquit *Balduinus, & Iudith a leges ciuiles, quas elegerant, obſeruarunt. Similiter Rex noſter, filius veſter, huic deſponſationi adeſſe noluit, ſed reipublicæ miniſtros, & officiarios miſit, & vt vobis pollicitus fuerat, hos inter ſe matrimonium contrahere, iuxta leges humanas, permiſit, & Balduinum maximis honoribus affecit, vt poſtulaueratis.* Hæc Hincmarus, vt Baronius refert: etſi in alijs codicibus non nihil verborum immutatum ſit. nonnulli volunt, ob iſtud coniugium à Carolo Balduinum Comitatu Flandriæ donatum.

49 Hac præmiſſa facti ſerie, quis niſi cæcutiat, velit huiuſcemodi exemplo ſententiam aduerſariorum oſtendi? Vbi hic Balduini coniugium, ob conſenſus regij defectum, redditur inualidum, irritumque? Si Iuditha, quippe femina, à Regni ſucceſsione lege Sallica arcebatur, cur eius exemplum rei noſtræ adaptatur, qui de ijs agimus, qui ad eam aliquatenus aſpirant? Certè huic Balduini connubio nonniſi raptus impedimentum obijci iure poterat; quod ſanè Carolus magnifaciebat, cum illud Gregorij, videlicet ſecundi, in Romana Synodo, relatum, *in cap. ſi quis virginem 36. quæſt. 2.* vſurpabat, aiebat-

aiebatque,illum,vti raptorem,proinde que diuinarum,humanarumque legum violatorem,iure optimo ab Epiſcopis excommunicatione fuiſſe innodatum:ab Epiſcopis,inquam, quoniam eam Pontificis non eſſe latam,ſed ferendam excommunicationem,edocent plures,quos laudat,ſectaturque *Sanchez lib.7.de matrim.diſpu.12.n.2.* etſi alij inibi laudati cōtrariū opinētur.neq; Rex matrimoniū illud, veluti abſq; ipſius,vti patris, vel vti Regis,volūtate initum,eſſe nullum alicubi contendit; ſemper enim Balduinum furatum prædicat,raptorem nominat, ceteraq; huiuſcemodi dicit,quæ,etſi ipſiuſmet Regis renitētem voluntatem includant, cuius poteſtati patriæ rapta filia ſubdebatur;tamē hic dūtaxat voluntatis defectus minimè valori matrimonij refragatur;etſi de cetero raptus rationem compleat, qui tunc temporis fortaſsis matrimonium,ſaltem in Gallia,irritum faciebat:quod fortè etiam Rex Carolus opinabatur, nec omnino ineptè: etſi enim ipſis Apoſtolorum temporibus raptus nequaquam fuerit dirimens impedimentum, vt colligi videtur, ex *Can.66.Apoſtolorum,qui habentur initio,tomi.1.conciliorum*:Vbi:*ſi quis virginem*,inquiunt,*nō deſponſam, vi allata,habet,ſegregetur:ei autem aliam accipere non liceat ,ſed illam retinere, quam elegit, etiamſi pauper ſit.* Attamen poſtea eam vim raptus crimen habuiſſe, colligitur fermè ab omnibus Doctoribus,ex *cap. de puellis,cap.ſi autem,cap.placuit 36.quæſt.2.*vt monuit *Sanch.diſput.12.n.41.*quæ ſanè iura eo Caroli Calui

tempore viguiſſe, non modo probabile, ſed etiam certiſsimum eſt: vnum enim, aut alterum, etſi paulò ante id temporis conditum ſit; Meldēſis tamen ſanctio, ipſomet regnante, & conſentiente, ab eo concilio lata fuit: vtrumque vero oſtenditur, quia *cap. de Puellis*, ex Concilio Cabilonenſi depromptum à Gratiano dicitur: duplex vero Prouinciale Concilium in Cabilonenſi vrbe Galliæ Celticæ, quæ & Lugdunenſis, celebratum eſt, vtrumque ante Calui tempora; primum quidem ann. Dom. 658. tempore Clodouei Regis; alterum vero ann. 813. Caroli Magni tempeſtate, vtrũque à me accurate inſpectũ, *in tom. 3. cōciliorum*, ſed in neutro ea ſanctio reperta: fortè non omnes eius concilij inibi referũtur. *cap. ſi autem, ex Concilio Meldenſi, cap. 63.* certiſſimè totidem verbis deprompum eſt. quod etiam *ſeq. cap. 66.* ſtatuit, eiuſcemodi virginum, aut viduarum raptores, ſecundum Synodalem B. Gregorij inquit, diffinitionem, ipſos, eorumque complices anathematizari, ipſoſque raptores ſine ſpe coniugij perpetuò permanere. quo fortaſsis loquendi modo Eccleſia ſæpè priſcis illis temporibus vtēs, aliquos, in grauium delictorum pœnam, ineptos reddebat, coniugijs ineundis, vti etiam *Baſilius Pontius Legio lib. 6. de matr. cap. 3. num. 3.* ſuſpicatus eſt. Atque hoc quidem concilium, eodem Caluo Regnante, ac cōſentiēte, coactum eſt ann. Dom. 845. quod *eod. tom. 3. cōcil.* coërcetur: etſi poſtea huiuſce Cōcilij decreta non recepta à Carolo *Baronius* admoneat, *tom. 10.*

tit.

cit. ann. 845. *verſ. verum etſi decreta, fol.* 35. Sed fortè caput hoc minimè repudiarat, cum ea ſolũ reſpuere viſus ſit, quæ ſibi obſiſtere videbãtur, & non omnia reſpuiſſe idem auctor atteſtatur, *ann.* 846. *verſ. ſanctis enim, fol.* 40. vbi hanc ob cauſam Northmannis parere coactus dicitur, qui noluit Epiſcopis obedire. Denique *cap. placuit* deſumptum ait *Gratianus ex Concilio Aquiſgranenſi*: ſed non indicat, num ex primo, quod ann. Dom. 816. tempore Ludouici Pij Imperatoris, qui Calui pater fuit, an vero ex ſecundo, quod ann. 833. eodem Pio Imperatore, celebratũ eſt. ſed in neutro id ego reperi. ſimile quidpiam in ſecundo ſtatutum de raptoribus animaduerti. Addiderim *cap. de raptoribus* 36. *quæſt.* 1. quod excerptum eſt *ex Aurelianenſi* Cõcilio 1. quod ann. Dom. 506. tempore Clodouei Regis, illius ſcilicet, qui ex Francorum Regibus primus Chriſtiana ſacra ſuſcepit, vt aliquibus placet, in Aureliæ vrbe Galliæ Celticæ celebratum eſt. ſtatuit iſtæc Synodus *cap.* 4. vt, ſi ad Eccleſiam raptor cum rapta confugerit, & feminam ipſam violentiam pertuliſſe conſtiterit, ſtatim liberetur de poteſtate raptoris, & raptor mortis, vel pœnarum impunitate conceſſa, aut ſeruiendi conditioni ſubiectus ſit, aut redimendi ſe liberam habeat facultatem. Si vero, quæ rapitur, patrem habere conſtiterit, & puella raptori cõſenſerit, poteſtati patris excuſata reddatur, & raptor patri ſuperioris conditionis ſatisfactione obnoxius teneatur.

Horum

50 Horum igitur iurium memor Carolus, iis Balduinum teneri, proindeque irritum coniugium, ſi erat initum, contendebat; cum ſaltem in Gallia, ſi non in tota Eccleſia, ea iura ſeruari oporteret: eo enim temporis nondum edita erat Innocentij Tertij conſtitutio, quæ *cap. fin. de rapt.* refertur, eaque iura correxit, decernens, inter raptorem, ac raptã matrimonium conſiſtere poſſe: Innocẽtius enim Tertius ann. Dom. 1198. Eccleſię gubernacula ſuſcepit, vti hiſtorię paſsim atteſtantur. Arbitrabatur quoque Carolus, Balduinum non eo nomine excuſari, quod Iuditha raptui, fugæque conſenſerat, vti coram Pontifice falſa eſt: (etſi nonnulli hac de re dubitent, vti *Franc. Belleforeſt. in Carol. II.*) ſiquidem callebat. *l. vn. §. & ſiquidem verſ. pœnas autem. C. de rapt. virg.* apertè ſtatuere, raptum perpetrari, ſiue mulier velit, ſiue nolit; *Quia hoc ipſum*, inquit, *velle mulierum ab inſidijs nequiſsimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur: niſi etenim eam ſolicitauerit, niſi odioſis artibus circumuenerit, non faciet eam velle in tantum dedecus ſeſe prodere.* qua de re vidend. *Sanch. dict. diſp. 12. n. 9. & 11. & quæ ipſe tradidi Miſcell. reſp. lib. 1. reſp. 22.* Sciebat quoque Rex, raptum etiam admitti, cum fœmina, ſub parentum cuſtodia conſtituta, ex eorum domo, ipſis inuitis, aut etiam ignorantibus, abducitur; quamuis ipſa conſentiat, *vt ex l. 1. verb. vſque adeo, ff. de iniurijs*, probat *Sanch. loc. cit. num. 12. & 13.* alijque innumeri, quos ipſe recenſet. cum præſertim nullus de incundo coniugio

tra-

tractatus præceſsiſſet, *ad trad. poſt multos per eumd. Sanch. num.* 15. Hiſce itaque innixus Rex, matrimonium illud diſſoluere enitebatur, non quòd ipſius, vti Regis, aſſenſus defuerit, de quo nè minimam quidem fecerat mentionem. hinc vbique Balduinũ raptus arguebat, quo ſibi, non vti Regi, ſed quatenus patri iniuriam irrogarat: & hoc nomine illum ab Epiſcopis excõmunicari curauit, Gregorij ſanctioni nixus. ac Pontifex quoque illum huiuſce criminis reum facit, ad Hermentrudam ſcribens, dum Iuditham contra Diuinarum legum ſanctiones rapuiſſe illum aſſeuerat. ita tãdem factum eſt, vt, eodem aſſentiente Carolo, Balduinus, ac Iuditha, *iuxta leges humanas*, ſeu *ſeculi leges*, matrimoniũ contraxerint: puta, vti ipſe interpretor Hincmari verba, patri reddita filia, matrimonio denuò liberrimè cõſenſit, quod præfata humana iura exigere videbantur, ac præſertim Aurelianenſe Concilium, quod de raptoribus ad Eccleſiam confugientibus loquitur: quod in re noſtra, vti prędiximus, euenit. vel, ſi mauis aſſerere, valido coniugio additas fuiſſe humanas ciuileſve cærimonias, quæ ad matrimonij eſſentiam minimè pertinebant: quò ſc. licet nihil ei, etiam accidentale, vt vocant, deeſſet, ſimulque denuò contractum ita firmum, ratumque maneret, vt omnis prorſus ſcrupulus, qui ob raptũ oriri poterat, præcideretur.

51 Sed id Nicolaus veluti conniuens fieri permiſit, quò maiora mala, atque incommoda euitaren-

tarentur: ipſe enim de reliquo ſuam hac de re ſentē-
tiam patefecit, cum, ad Concilij Conuicinenſis, ſeu
Syluanectenſis Epiſcopos ſcribens, Balduini, ac Iu-
dithæ coniugium fuiſſe validum haud obſcurè de-
clarat; debuiſſeque Carolum illis hac de cauſa mo-
leſtiam non afferre; etſi ipſe non iuſſa mittere, ſed
offerre preces maluit, quò iratum Caroli animum
ad meliora prouocaret, vti certè aſſequutus eſt.
Hæc Nicolai epiſtola refertur *tom. 3. concilior. poſt
reſponſa ad conſulta Bulgarorum*, eſtque quarta earum
Decretaliũ, quæ inibi referuntur de Rothaldi Sueſ-
ſion. Epiſcopi reſtitutione. eiuſdem verba recito.
Ceterum, inquit, *de Balduino, de quo multa iam ſcripſi-
ſtis, ſciat Beatitudo veſtra, non nos regulas, atque ſancta
decreta velle corrumpere; ſed quia ad limina Apoſtolorũ
veniens* (hic interijcitur parentheſis, quæ ſubſequi-
tur) (Iuditha, Caroli Calui, Francorum Regis, filia,
ſperata primum Balduini Ferrei, Flandriæ Comi-
tis vxor Edelpho Anglorum Regi Roma per Gal-
lias redeunti anno 857. Deindè & eiuſdem filio
Adelbaldo nupſit anno 858. vidua, cum in Gallias
redijſſet, cuntineretque ſe plurimum Syluanecti, nō
reclamante Ludouico fratre eius, rapta eſt à Bal-
duino, &, cum eo Romam profecta, purgauit eum
de raptu. Pontifex vero interceſſores pro eo Lega-
tos ad Carolum miſit Rothaldum, ſeu Rodoaldum
Portuen. & Ioannem Ficoden. Meg. plura ad an-
num 863.) *à nobis petijt, ſe adiuuari; quamquam noſſe-
mus, quod filius noſter Carolus, glorioſus Rex, legaliter*

poſſet

poſſet ei, ſi vellet, filiam ſuam in vxorem dimittere, & miſericordiæ ſuæ gratiam impertiri; tamen non iuſſa miſimus, ſed preces obtulimus; quod textus epiſtolarum noſtrarum, quas ad iam ſatum excellentiſsimum Regem, & filiam noſtram Reginam, ad id obtinendum, direximus, vobis ſatis poterit indicare: nā pro tam pretioſa (alij legunt, & fortè meliùs, *Pernicioſa*) *temeritate ipſius viri, maximè cum conſideremus dilectiſsimi filij noſtri Caroli ſublimis contritionem cordis, & pectoris naturalem affectum, & nos valdè doluimus, & ei tota mentis affectione vſque hodiè cōpatimur. ſed veſtra fraternitas prævideat, ſicut ait Apoſtolus,* (ad Epheſ. 5. ad Coloſſ. 4.) *redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt, & iam, ſicut ipſi in veſtra pagina teſtamini, periculoſa tēpora inſtant. Ne ergo peius adhùc aliquid oriatur, interueniētes apud eumdem glorioſiſsimum Regem, filium cariſsimum, quò & ipſius cordis mærorem pellatis, & eidem Balduino nō vſquequaque inflexibilis perſeueret: præcipuè quoniam Apoſtolorum auxilia deprecatus eſt, & diuina præſidia requiſiuit: nulli enim Regum graue eſſe videri debet, conſeruo ſuo debitum centum denariorum dimittere, qui fortaſsè à ſummo Regum, & Domino Dominorum decem-millia talentorum ſibi dimitti deſiderat.* Quis quæſo non videt in tota modo relata Pontificis ratiocinatione, ipſum planè ſupponere, Balduini, ac Iudithæ coniugium fuiſſe validum, ratumque; tum quia, etſi preces offerat, fatetur tamen, ſe iuſſa mittere potuiſſe: quod ſatis indicat matrimonij valorem, ac firmitatem: tum quia vxorem nominat, ac virum:

tum quia non petit, vt Rex ſinat iniri coniugiũ, ſed ne Carolus inflexibilis perſeueret, pœnas à Balduino petiturus; eique minorem dimittat reatum, qui à Domino maiora fortaſsis ſibi condonari deſiderat. idem fermè innuit eiuſdem Pontificis epiſtola ad Hincmarum Rhemorum Antiſtitem, vt ſatis ex Hincmari literis liquet, quibus Papæ reſpondit, quas retulit *Flodoardus dict. lib. 3. cap. 12.* Hæc vero omnia, fauorque matrimonij in re, quæ vetuſtate conſenuit, id coniugium validum fuiſſe nos fateri compellunt.

52 Neque huic Pontificis ſententiæ iura, *nu.* 49. relata, vllatenus refragantur; nam, præterquam quod ijs fortaſsis aptè nequaquam oſtenditur, matrimonium inter raptorem, ac raptam inualidũ fore exiſtimandum, vti *Sanch. diſp. 12. cit. nu. 41.* præſenſit, ibi: *non video autem in eis verbum, per quod tale matrimonium denotetur fuiſſe irritum*: non ineptè quoque probat *Baſilius lib. 7. de matrim. diſp. 69.* iura hęc non toti Eccleſiæ communia, ſed quibuſdam propria extitiſſe. (quamuis id, poſtquam illa Gratiani Decreto concluſa ſunt, aſſeuerare non auſim) Hinc vero ſequitur, vel non obſtrinxiſſe ea iura Balduinum, ac Iuditham; vel, ſi eos obligabant, Papam in ijs diſpenſaſſe; vel declaraſſe, illa hanc obligandi vim non habuiſſe, vti ab Epiſcopis, ſeu Epiſcoporũ Concilio, condita, qui conſtituendorum dirimentiũ impedimẽtorũ non obtinent facultatem, vt probat *Sanchez lib. 7. cit. diſp. 1. num. 9.* ſaltem de facto,

quod

quod omnes admittunt, vt monuit *Hurtad. tract. de matrim. diſp. 12. cit. diffic. 2.* quinimo Pontifex eius matrimonij valorem non iniuria ſupponebat, eidem nixus Meldenſis Concilij canoni, *cap. 65.* quod, vti diximus, eodem Carolo conſentiente celebratum eſt, refertur que *in dict. cap. ſi autem. 36. quæſt. 2.* vbi planè decernitur, raptores, qui raptas nondum ſibi matrimonio copularunt, cogendos, vt eas parentibus protinus reſtituant: ſi ergo coniugium initum fuerit, ad id compellendi nullatenus erunt. atque id ſanè Papa innuere videtur, cum ait, Regem legaliter potuiſſe (ideſt debuiſſe, vti iam ſubijcio) filiam ſuam in vxorem dimittere Balduino, idque ſe Nicolaus iubere potuiſſe, etſi precibus maluerit obtinere; quia videlicet poſt coniugium inter raptorẽ, ac raptam, validè ſaltem tunc temporis initum, viro vxor relinquenda erat, nec parentibus vllatenus reſtituenda. vocem *potuiſſe* pro *debuiſſe* modo interpretatus ſum, & rectè: etſi enim veriſsimum ſit, verbum, *Poteſt*, affirmatiuè prolatum, non neceſsitatis eſſe, ſed voluntatis, *l. ſæpè, ff. de offic. Præſid.* etiamſi ad iudicem referatur, *l. quicquid, ff. de iud. l. 1. C. quomodo, & quando iud.* Quandoque tamen verbũ iſtud neceſsitatis eſt, ſi id ſubiecta, vt aiunt, materia requirat: ita ſumitur *in l. ſi mandauero. 2. §. fin. iuncta gloſſ. verb. ita poteſt, ff. mandati, Auth. ſed & periculum. C. ſine cenſu, & reliquis fund. comp. non poſſ.* ibiq; *Gloſſ. verb. Poteſt*, id colligit, quia ſtatim Imperator verbum, *Cogitur*, vſurpat, aliaq; non abſimilia iura

I 2 *Gloſſ.*

Gloſſ. in l. obſeruare, verſus fin. verb. Debet, ff. de offic. Proconſul. recenſet, monetque contra verbum *debet* nonnunquam pro *poteſt* vſurpari in ijs legibus, quas inibi laudat. In re vero noſtra id ſubiecta materia petit, quia ſtatim Pontifex, etſi non cogat, cogere tamen ſe poſſe aſſeuerat. id quod ſane verum non eſſet, niſi Rex illud exequi obſtringeretur.

53 Secundum exemplum, (quod Hiſpanicè ita mihi exhibitum fuit, *De Luis Lebego, y de Sear hija de Carlos el amarillo*, Gallicè enim, aut Latinè conſcriptum reperire nequiui) etſi plurimũ in euoluendis Franciæ Hiſtorijs laborauerim, adinuenire non potui. Comperi quidem Ludouicum Balbum, (cui *Lebegi* agnomen, paululum immutatum, congruere videbatur, cum *le Begue* Gallicè, Latine *Balbus* nuncupetur) binas vxores ſibi eodem tempore matrimonio copulaſſe, alteramque repudiaſſe poſtmodum, cum ſcilicet Epiſcopi, qui in ipſa eius conſecratione poſt Caroli Calui (patris ipſiuſmet Ludouici) obitum conuenêre, eumdem Ludouicum duabus vxoribus implicatum dirimerunt, & ad meliorem frugem reſtituerunt, vti ex alijs refert *Card. Baron. tom. 10. ann. 877. verſ. Nam eodem anno fol. mihi 528.* Sed neutri earum Sear nomen erat, verum vni Anſgardis, alteri Adelheidis, ſeu, vt alij habent, *Adelaidis*, neque earumdem vlla Caroli Pallidi (qui nec fuit vnquam) filia fuit. Conſului virum doctũ, atque Annalium, Gallicæ-

que

que linguæ literatè peritum. monuit is exemplum hocce eſſe Ludouici, qui ob linguę impedimentum Balbus appellatus eſt, nominaque immutata Gallici ſermonis ignoratione, in qua interpres verſabatur., cum Gallicè conſcripta, Hiſpanicè reddebat: neque enim Ludouicus Lebegus (ſeu *de Vigo*, vt alius neſcio quis interpretatus eſt) neque Sear, neq; Carolus pallidus reperitur. reponendum igitur admonuit loco *Lebegi*, ſeu, *de Vigo*, Gallicè *Lebegue*, latinè *Balbus*, Hiſpanicè *Tartamudo*; loco *Pallidi*, ſeu *Amarillo*, reponendum Gallicè *Chauue*, latinè *Caluus*, Hiſpanicè *Caluo*. Huiuſce quidem nominis, alteriuſque ſimilitudo, puta *Iaune*, quod *pallidum* latinè, *Amarillo* Hiſpanicè ſignificat, erroris anſam interpreti dedit. Res igitur ita ſe habuit.

54. Ludouicus Balbus Rex II. Franciæ, filius Caroli Calui Franciæ quoque Regis, vxorem duxit, contra patris voluntatem, Anſgardem, infimæ plebis mulierē, ex qua duos filios ſuſcepit; qui ambo Franciæ Reges extitere, puta Ludouicum Tertium, & Carlomannum. Matrimonio quoque copulatus eſt idem Ludouicus Balbus Adelheidi, ex qua habuit Carolū Galliæ Regē, quem ſimplicem appellarunt. Quamuis vero Anſgardē poſtea coactè repudiarit; non ideo tamen matrimonium irritum fuit. Id quod optimè monent *Scæuola de Sancta-Martha*, *&* *Ludouicus item de Sancta-Martha*, Galli Auctores, & aduocati in Pariſienſi Parlamēto, qui hodiē viuunt, in hiſtoria, quam iunctim verna-

nacula lingua conſcripſere, *de Franc. Reg. tom. 1. lib. 4. c. 2. fol. 204.* quorum quidem verba, ſi latinè reddantur, hæc fermè erunt. *Ludouicus bis matrimonio copulatus eſt. primum quidem Anſgardi, plebeiæ mulieri, contra patris Caroli Calui voluntatem, quam ob rem illã repudiare coactus fuit. Hinc nonnulli illam, vti concubinã, duoſque filios ex ea ſuſceptos, veluti illegitimos, æſtimarunt, contra hiſtoriæ veritatem, quia matrimoniũ validum fuit.* ijdemque Auctores, *loc. cit. cap. 3. fol. 205. hiſtorici nonnulli, inquiunt, Ludouicum Tertiũ, & Carlomannum illegitimos vocant. Sed Priſci aliter loquuntur, & ipſemet Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis, qui vti ſcribit Flodoardus,* lib. 3. hiſt. Rhemenſis, cap. 19.) *cauſam iuſtam neutiquam adinuenit diſſoluendi cõiugij Anſgardis matris ſupradictorum Ludouici, & Carlomanni. Rex etiam illorum pater eos legitimos reputabat, atque etiã maiorẽ natu duntaxat in Regno ſuccedere ordinarat, proindeque paulò ante obitum, & ſuam Coronam miſit, enſem, aliaque Regum ornamenta per Guidonem Epiſcopum Bellouacenſem, ac per Comitem Albinum cui Galli obediuere. Nihilominus tamẽ ambos fratres vti Reges recognoſcere decreuere, quò ciuilia bella præciderentur, quæ timebantur, ſi Carlomannus abſque vlla Regni parte remaneret.* Item *Papirius Maſſonius*, Aduocatus quoque in Pariſienſi Parlamento, apud Francos magnæ auctoritatis vir, *lib. 2. Ann. Franc. in Ludouico Balbo* ait, hoc idem coniugium, quo de agimus, validum extitiſſe. Idemque monent alij fermè omnes, qui de rebus Gallicis tractauere. Sed & *Ba-*

 ronius,

ronius, diligentiſsimus priſcarum rerum indagator, *dict. tom. 10. ann. 879. init. fol. 549.* Ludouici Balbi obitum referẽs, ait illum reliquiſſe, *poſt ſe filios duos*, inquit, *ex Anſgarde priori coniuge, ideſt Ludouicum, & Carlomannum; ex poſteriori Adeleide genuit Carolum poſthumum, cognomento ſimplicẽ, &c.* Vbique pro certo ſupponens, & Anſgardem Balbi vxorem fuiſſe, & duos filios ex ea habitos omnino legitimos extitiſſe. Certè nemo eſt, qui aſſerat, illud connubium inde irritum fuiſſe, quod Regis defuerit aſſenſus.

55 Illud vero & hic annotauerim, prefatum Rhemorum Archiepiſcopum certiſsmè fuiſſe arbitratum, Anſgardis coniugium ratum, firmumque extitiſſe; contra vero Adelaidis inualidum, nulliuſque momenti: vti enim refert *Flodoardus, dict. libr. 3. hiſt. Rhemenſ. cap. 19.* is Antiſtes ad Ludouicum, & Carlomannũ defuncti Regis filios ſcripſit, quare Anſgardim, vxorem abiectam, eum, puta Ludouicum Balbum, recipere non coegerit, & Adelaidim ab eo retineri non prohibuerit. quæ ſanè apertè innuunt, Hincmarum cenſuiſſe legitimam Balbi vxorem fuiſſe Anſgardim, non vero aliam, quæ retineri permittebatur, cum tamen dimitti debuerit.

56 Quod denique ad tertium ſpectat Annæ, ac Maximiliani Romanorum Regis exemplum, primùm admonuerim, hiſtoricos non paucos aſſerere, eos inter non coniugium, neque ſponſalia, ſed tractatus illos dumtaxat adhibitos, qui matrimonium, ſponſaliaque precedere ſolent; & ad ſummũ

ſpon-

ſponſalia inita, non coniugij contractum. *Ita Ioannes Tilius cõmentar. de reb. Franc. lib. 1. in Carolo Octauo, fol. 92.* Annam Maximiliano promiſſam autumat: idemque *Paulus Iouius, lib. 1. ſuæ hiſtor.* aſſeuerat: quos & nonnulli alij imitati ſunt. Id quod ſanè, ſi verum eſt, nè minima quidem, vel apparẽs difficultas remanet, cum apud omnes prorſus certiſſimum ſit, per matrimoniũ, quod ſubſequitur, ſpõſalia, quæ præceſſere, omnino diſſolui, aperteque ſtatuitur, *in cap. ſi inter de ſponſalib. c. 1. de ſponſa duorum, & cap. fin. 27. q. 2.*

57 Sed quoniam alij volunt, coniugium inter eos fuiſſe contractum, etſi de cetero omnes penitus conueniant, quod per Maximiliani procuratorem in Bretannia initum ſit; illudque indè probat *Bertrand. de Argentre in hiſtor. Britan. libr. 12. cap. 56.* quod omnia fermè eius tẽporis priuilegia, reſcripta, aliaque huiuſcemodi inſtrumenta, quæ in publicis Britanniæ tabulis, ſiue mauis Regiſtris, reperiũtur, hunc in modum incipiunt: *Maximilianus, & Anna Dei gratia Romanorum Reges, ac Britanniæ Duces;* ideo recẽſenda hiſtoria erit, vti illam poſt alios retulit *Abrahamus Bzouius*, mox laudandus, quæ, ſicuti nihil prorſus nobis officit, ita neque aduerſarijs vllatenus ſuffragatur. Res igitur contigit hunc in modum.

58 Maximilianus hic Romanorum Rex initio menſis Ianuarij ann. 1492, vxorem duxit Annã Franciſci Britannorum Ducis filiam, quo huiuſce connu-

connubio Principatu Britannico potiretur. Quod per procuratorem, adhibitis matrimonij ſolemnibus, peractum eſt; ac præſertim Annam, torum cõiugalem in teſtium præſentia ingreſſam, Maximiliani vice idem procurator, nudato crure genutenus, in lectum immiſſo, contigit, perinde quaſi ita, puellæ notitia habita, matrimoniũ pro rato, firmoque haberetur. Id ægre ferens Carolus Galliarum Rex Octauus, ſibi Annæ nuptias maturandas, eamque Maximiliano præripere cogitauit, adhibitiſq; nonnullis Britannicis mulieribus, quæ id puellæ ſuaderent, ſponderentque, Pontificem Romanum facilè eam prioris coniugij legibus ſoluturũ, quas nec violatas eſſe autumabant, dum tutius, ac certius matrimonium initur. quibus tandem, alijſque perſuaſa Anna ſe, dictionemque Britannicã in fidẽ Caroli Regis contulit, paucíſque poſt diebus Carolus Annam ſibi deſpõdit. Exarſit hinc ferale bellum inter Carolum, & Maximilianum, cuius partes Ferdinandus Hiſpaniæ, & Henricus Angliæ Reges tuebãtur, indignè, & non iniuria, ferentes, puellam, Maximiliano ritè matrimonio iunctam, contra ius, faſque eripi, & ad aliud connubium trahi: Hiſce commotus Alexander Papa ſextus, qui tunc temporis Summo Pontificatu fungebatur, ad eos omnes de pace Nuncium deſtinauit. inter alia pacis fœdera, illud in primis fuit, vt Carolus Annã ſibi vxorem retineret: tum Carolus ad alios omnes, ſed præcipuè ad Alexandrum oratores miſit, qui

Digitized by Google

tranſactorum confirmationem poſtularent; atque hi, ad illũ profecti, omnia, vt Rex auebat, retulerũt. I*ta poſt Arnoldũ Ferroniũ, lib. 1. Beut. lib. 4. & 5. Polyd. Virg. lib. 26. Naucler. gener. 50. Sabellic. Ennead. 10. lib. 9.* ſcribit, etſi paulò latiùs, *Abrahamus Bzouius in Annal. Eccleſ. poſt Baron. tom. 18. ann. 1493. numer. 1. fol. mihi 375.*

59 In hac facti ſeriè primum animaduertendum eſt, illud coniugium minimè fuiſſe diſſolutum eo quod Regis conſenſus defuerit, neque Anna ad Regni ſucceſsionem, quippe femina, aſpirare vllatenus poterat, ſibi lege Sallica penitus refragante, Gallicaque iuriſdictione immunis, illum expectare cõſenſum cogi nullo modo poterat. Deindè annotandum eſt, iſtiuſmodi coniugium ratum tantummodo, non vero fuiſſe cõſũmatum, proindeque potuiſſe Pontificem illud diſſoluere, vti innumeri edocent, quos citãt, ſectanturque Neoterici *Gaſp. Hurtad. tract. cit. de matrim. diſp. 8. diffic. 3. numer. 11. Hẽriq. lib. 11. cap. 8. Sanchez lib. 2. diſput. 14. num. 2. & diſput. 15. & 16. Garcia de benef. part. 7. cap. 10. nume. 83.* ac præſertim *Bertrand. dict. cap. 56.* ait, id Apoſtolicam Sedem, ob pacis bonum, aliaque reipublicę commoda, quandoque præſtitiſſe, ac re ipſa in hoc coniugio, quo de loquimur, Sanctam Sedem exequutam aſſeuerat. quod equidem inde haud obſcurè, ni fallor, elicuerim, quòd omnia, quæ ab ijs Principibus peracta fuerant, Nicolaus Pontifex confirmauit. ea vero inter illud præcipuum erat, quod

Digitized by Google

quod Carolus ſibi Annam vxorem retineret. Id autem qui fieri poterat, niſi priori rato coniugio Apoſtolica auctoritate penitus diſſoluto? Et quamuis initio hoc ſecundum connubium prorſus inualidũ fuerit, cum primum adhuc à Pontifice ſolutũ nulla tenus eſſet; poſt tamen eam, quam prædiximus, cõfirmationem, proindeque prioris vinculi ſolutionẽ, Carolus, & Anna pluribus annis cohabitarunt, filiumque ſusceperunt, etſi Carolo prædefunctus ſit, vt hanc quoque ſcelerum lueret pœnam, & abſque ſucceſſoribus vitam cum morte commutaret, vti monuit *Bzouius loc. cit. ann.* 1495. *num.* 19. *& ann.* 1498. *num.* 4. ex hac vero diuturna cohabitatione, præſertim ante Tridentinum Concilium, atque etiã forte poſt illud, ſi de Gallia loquamur, quis neſcit, matrimonium, etſi antea inualide initũ, poſtea iure contractum debere præſumi? Denique animaduertendum eſt, coniugium, quo de loquimur, per procuratorem fuiſſe initum, proindeque plura requirebat, quorum defectu inualidum extitiſſet. de quibus *Sanch. lib.* 2. *cit. diſput.* 11. *alijque apud ipſum*: & fortaſsis horum aliquid defuit, ob quod illud fuerit diſſolutum. præterquam quod ſunt, qui cenſeant, matrimonium, per procuratorem contractum, non eſſe Sacramentum, quos refert *Hurtad. dict. tract. de matr. diſput.* 3. *n.* 65. *Sanch. loc. cit. nu.* 26. *& Baſil. Pont. lib.* 1. *cap.* 10. in quorum quidem ſentẽtia, ſi matrimonium ſit dumtaxat ratum, facillime ſolui poteſt.

Digitized by Google

Et hæc quod attinet ad ſecundam aduerſariorũ aſſertionem.

§. VIII.

Tertia Gallica aſſertio expenditur.

60 IAM vero hæc tertia aduerſariorum aſſertio ijs facillime conuellitur, quæ hucuſque explicata ſunt: tres enim hæ Gallicę aſſertiones vnũ veluti Syllogiſmũ ita cõponũt, vt prima ſit maior propoſitio, ſecunda ſit minor, tertia ſit conſecutio, illatiove. Ita enim ferme ij ratiocinantur. Conſuetudo rationi innixa, antiqua, legitima præſcriptione roborata, atque ab Eccleſia approbata, efficere poteſt, vt matrimonia quæpiã inualida ſint: Sed in Francia conſuetudo reperitur, quæ non ſinit Principes ſanguinis, præſertim Regi propinquiores, qui Regni ſe hæredes eſſe contendunt, matrimonia cõtrahere abſque Regis aſſenſu, multoque minus, eo penitus obnitente: Matrimonia igitur hunc in modum inita, illegitima erunt, nulliuſque momenti. quæ ſanè illatio negari penitus debet, cum iam maiorem huiuſce Syllogiſmi propoſitionem explicauerimus, ac minorẽ omnino inficiati ſimus; ac proinde explosa manet hæc tertia aſſertio, quæ eſt aduerſariorum conſecutio, vt monitum eſt.

§. IX.

Aduerſariorum fundamenta excutiuntur.

61 IAm nos tempus admonet, vt rationum pondera, quas *nu.* 4. *& ſeq.* retulimus, perpendamus; quarum fermè omnium dilutio, ex ijs, quæ hactenus expoſuimus, facili negotio colligi poteſt. ſed ſingillatim earũ vim hoc loci examinare operepretium eſt.

Aio igitur primùm, diſtinctionem illam, quæ *num.* 4. relata eſt, veriſsimam cenſeri debere; ſed annectendum, non benè hodiè in Chriſtianorum cõiugijs ciuilem contractum à Sacramenti ratione ſeiungi: hæc enim duo in eiuſmodi matrimonijs inſeparabiliter coniunguntur, vt *num.* 12. monitum eſt; quam ob rem cui vnum negatur, alterum concedi non debet. Hinc infirmum protinus cognoſcitur argumentum ex infidelibus Principibus deſumptũ, & fidelibus adaptatum: etſi enim hanc, qua de agimus, poteſtatem ij obtinerent, obtinuerintvè; quoniam tamen eorum coniugium non eſt Sacramentum, nihil profectò mirum eſſe debet, ſi matrimonij contractus illorum poteſtati ſubijciatur. at vero, cũ fidelium coniugium ſit hodiè Sacramentum, iſque contractus à naturalium rerum ordine extractus, ad ſupernaturalium ordinem euectus ſit; minus profectò mirum eſſe debet, ſi hodiè fidelibus Principibus ille minimè ſubijciatur.

Et

62 Et, vt hæc res clariùs eniteſcat, animaduertendum eſt primùm, in eo omnes penitus Doctores conuenire, quod ſcilicet re ipſa, & de facto, vt aiunt, hodiè non integrum eſt politicis Principibus baptizatis quidpiam diſponere circa fidelium matrimonia, ſaltem dirimenda: (quod certè nobis ſatis, ſuperque eſt) quicquid contra hanc communem, veramque ſententiam innuerit ſolus *Petrus à Soto lect. 4. de matrim. ad fin.* volens Principes hac in re ſponte ſua, ac pietate ductos, Eccleſiæ ceſsiſſe: non tamen propterea id legi eſſe auferendum, vt illegitimos aliquos reddere poſsit matrominijs ineundis. ſed in eo omnes prorſus cõuenire rectè monuit *Gaſp. Hurtad. dict. tractat. de matrim. diſput.* 12. *num.* 6. quo quidem conſtituto, protinus ruit hoc primum aduerſariorum argumentum, vt patet.

63 Secundo animaduertendum eſt, eoſdem Doctores non parum diſcrepare in reddendo eius communis, veræque ſententiæ rationem. Cenſent enim primò eorum nonnulli, Principem ſecularem baptizatum vi ſuæ iuriſdictionis, & officij, obtinere quidem eam, qua de agimus, poteſtatem: ſed hanc hodie Eccleſiæ prohibitione impeditam reperiri: quarè volunt, hac prohibitione ſepoſita, eam politicis Principibus conuenire. *Hi ſunt Henriq. lib.* 12. *de matrim. cap.* 1. *Ægid. diſp.* 30. *dub.* 1. *atque alij, quos refert, ſequiturque Sanch. lib.* 7. *de matrim. diſp.* 3. *num.* 2. quamuis re vera non omnes ab eo laudati clarè hanc ſententiam, quę politicis Principibus vi ſuæ

iu-

iuriſdictionis eam tribuit poteſtatem, amplectantur. Exemplo ſit in primis *Gloſſ. fin. in cap. ſi quis ancillam. 29. quæſt. 2.* quæ non ſecurè hanc doctrinam tradidit, ſed vtitur verbo, *videtur*, citatque *Hoſtienſem*, qui contrarium edocuit. & mox eadem *Gloſſ. fin. in cap. ſi quis ingenuus iiſdem cauſa, & quæſt.* expreſsè contrariam amplectitur opinionem, refertque illud, matrimonia iure poli hodie regi, *2. quæſt. 3. §. Hinc colligitur.* idemque docuit in *cap. cum ad verum, verb. Temporalium, diſt. 96. cap. Quoniã. verb. pro curſu. diſt. 10.* Item Sanctus Thomas, ac Bellarminus ſequenti ſententiæ ſuffragãtur, vti *num.* 78. animaduertemus. *Sotus quoque in 4. diſt. 40. quæſt. vn. art. 5.* ait quod ſi poſt Euangelicam legem politicus Princeps harum ferendarum legum facultate fungeretur, cum eadem penes Eccleſiam exiſtat, accidere poſſe, vt ſæpè ſibi huiuſmodi poteſtates contradicerent, quod in perniciem Eccleſiæ vergeret. Addit præterea, Eccleſiæ incumbere de Sacramentis cenſere; & in ijs, quæ ad cœlorum Regnum pertinent, ciuilem remp. ſubijci ſpiritali. atque hinc infert, nequire Ciuilem in matrimonij cauſis, præſertim in perſonis legitimis, illegitimiſve conſtituendis, ab Eccleſiæ ſanctionibus, & poteſtate deflectere: alioqui, ſubdit, duo eſſent capita, quod vtique monſtrũ vineam Domini demoliretur. Et mirum certè foret, ſi id Principi abſolutè, vi ſcilicet politicæ poteſtatis *Sotus* appingeret, qui num Eccleſiæ clandeſtina coniugia facultas reddendi irrita competeret,

de-

definire non auſit in 4.*diſt.* 28.*quæſt.* 1.*art.* 1. *ad* 1. id quod notari etiam poteſt de *Ruard. Tapper. art.* 20. *Louanienſ. ante §. Profeſsionem Religionis*: quippe qui illud ipſum indeciſum reliquit, vti poſtea animaduertam. Atque id ipſum, quod de hiſce auctoribus annotauimus, in alijs quoque animaduerti poteſt. ſed quod mirũ magis eſſe debet, nõ modo *Sanchez* hos pro ſua ſententia laudauit; verum etiam *num.* 4. monet, hanc eamdem opinionẽ edocere ſequentis ſententiæ patronos, negantes, inquit, hanc poteſtatem Principi ſeculari, non ex vi eius poteſtatis, ſed ratione Pontificiæ reſeruationis: qui tamen clariſsimè huic ſententiæ obſiſtunt, edocentes fideliũ coniugium, quippe Sacramentum, remque omnino ſacram, extra ſecularis poteſtatis limites reperiri, vti iam ſubijcimus.

64 Alij ergo plures ſecundò rectiſsimè aſſeuerant, ſecularibus Principibus baptizatis eam poteſtatem neque vi ſuæ iuriſdictionis, & officij vllatenus conuenire, nedũ Eccleſiæ præcepto impeditã reperiri. *Hi ſunt Gloſſa locis antecedenti nu. cit. ac Doctores in cap.* 1. *de ſponſalib. Butr. num.* 12. *Abb. num.* 9. *Alexand. de Neuo. num.* 21. *& ſeq. Præpoſ. num.* 7. *Felin. num.* 10. *& ſeq. Hoſtienſ. in ſumm. de ſecund. nupt. in fin. Couarr. in* 4. *Decretal.* 2. *part. cap.* 6. §. 10. *num.* 16. *alijque plures Iuriſperiti apud Sanch. dict. diſp.* 3. *num.* 1. *Idemque edocent Theologi in* 4. *diſt.* 42. *vbi S. Tho. q.* 2. *art.* 2. *ad* 4. *S. Bonauent. art.* 2. *q.* 2. *ad finem. Ricard. art.* 2. *q.* 2. *in fin. corp. Palud. q.* 1. *art.* 2. *concl.* 7.

num.

num.25.& diſt.26.quæſt.3.art.3.num.13.Maior diſp.29.quæſt.1.concl.1.in fin.Sot.loc.cit.& dict.diſt.42.quæſt.2.art.2.ibique Ouandus diſp.vn.propoſ.11.Ca-nědo ſumm.Sacramentorum, de matrim.cap.16.in fin. Bellarmin. (*quicquid dixerit Sanchez*) *locis poſtea citandis.Gaſpar Hurtado tract.cit.de matrim.diſp.12.difficult.2.num.6.Baſilius Pontius Legionenſis lib.6.de matrim.cap.2.*alijque plures docti viri à me conſulti hanc ſententiam profitentur.

65 Probant hi fermè omnes hanc ſecundam ſententiam, quæ re vera communior, ac veriſsima cenſeri debet: tum quia fidelium coniugium eſt Sacramentum proindeque res quædam ſpiritualis, ac ſacra, atque ideo extrà limites ſecularis poteſtatis: neque (equidem addo) in eo ciuilis contractus à Sacramenti ratione ſeparari poteſt, vti ſæpè monuimus; tum quia *cap.tuam de ordine cognit.* matrimonij cauſas ad ſolius Eccleſiæ forum pertinere decidit: id quod Francorum Regis Ludouici prudentiam latere Honorius Tertius inibi non credit; imo ad Epiſcopos dumtaxat, non item ad inferiores attinere definit *cap.multorum 25.quæſt.6.& cap. accidentibus de exceſſ.Prælat.*addiderim quoque *cap.lator, qui filij ſint legitimi, cap.2.de don.int.vir.& vxor.& cap. Eccleſiæ ſanctæ Mariæ, de conſtit.* vbi apertè decernitur, laicorum ſtatutum, quod ſpectat ad Eccleſiam, vel res ad eiuſdem iuriſdictionem pertinentes, etiã Eccleſiarum reſpiciens commodum, & fauorẽ, nullius prorſus firmitatis exiſtere; niſi ab Eccleſia fue-

rit approbatum: vndè ſimile quodpiam Baſilij vrbi præfecti illa reprobatum potiſsima ratione inibi dicitur, quòd auctoritate non fuit Romani Pontificis roboratum. Hinc benè intulit *Plot. conſ. 87. num. 15. inter. conſ. Matrim. Ziletti*, matrimonij cauſas eſſe omnino ſpirituales, ideoque poſſe Eccleſiaſticum iudicem ſeculari iudici inhibere, nè in eas vigore ſtatutorum huiuſcemodi, alteriuſve iuris ſe vllatenus intromittat. *Dom. Gem. alijque Doct. in cap. ſtatutum. 1. de Hæret. in 6. Roſell. verb. matrimonium. 1. num. 18. cap. 1. & per tot. tit. de ſponſalib.* ac fermè omnes animaduertunt. Tum quia *dict. cap. 1. de ſpõſalib.* diſertis, apertiſque verbis, Francorum legem, matrimonij valori detrahentem, nullam, inualidamq; eſſe decernit: vbi etſi Gloſſographus pro *lege*, *conſuetudine* interpretetur; equidem non video, cur à verbi illius proprietate diſceſſerit. Tum denique, quia *in §. Hinc colligitur, poſt cap. Euphemium. 2. quæſt. 3.* matrimonia hodiè regi dicuntur iure poli, non iure fori. Hodiè, inquam ego, ideſt poſtquam coniugij contractus à fidelibus initus ad ſupernaturalium rerum ordinem euectus eſt.

66 Sed mihi quidem hæc res videtur poſſe aptius explicari, ſi minimè veſtigemus, num ipſa Principum poteſtas ſubditorum coniugia attingere queat, ita vt defectus quiſpiam, num ipſimet inſit, inquiratur; ſed quæramus generatim, num matrimonium res ſit, quæ Principum poteſtati ſubijciatur; tuncque diſtinguendum erit inter coniugium,

quod

quod Sacramentum non ſit, & illud, quod Sacramentum eſt, dicendumque primum ſubijci (loquimur hic ſemper cum crebriori ſententia) non vero ſecũdum; ſiue de cetero infidelis ſit Princeps, ſiue Chriſtianus, fideliſque: non enim id prouenit principalis poteſtatis defectu, ſi propriè loquamur, quia ſcilicet ille Chriſtianus ſit, vel non ſit; ſed quia coniugij contractus, quod eſt Sacramentũ, non amplius in rerum naturalium ordine, quæ ſolum ad ſecularem quorumcunque Principum pertinent poteſtatem, ſed in ſupernaturalium, ſacrarumque ordine, proindeque à ſeculari iuriſdictione penitus extractus reperitur. Hinc autẽ fit, vt hac in re Principum fidelitas, ſeu infidelitas, ſiue mauis religio, quæ ab omnibus fermè in ea perpẽditur, neque faueat, neque obſit; ſed ſolum obiecti capacitas perpendi debet, num ſcilicet obiectum, ſeu res ipſa capax ſit ſecularis ſubiectionis, necnè; ac decidẽdi ratio ex ipſo obiecto, non ex poteſtate deſumatur, vt & in alijs huiuſcemodi potentijs cum phyſicis, tum moralibus philoſophari conſueuere, qui aptiùs ratiocinantur. Atque ita quæſtionis reſolutio ſimplicior eſt, & vniuerſalior, firmiſsimæque innititur rationi, puta quia coniugium, quod eſt Sacramentum, res ſacra eſt, proindeque ſolum Eccleſiæ poteſtati, iuriſdictionique ſubijcitur.

67 Quamuis autem noſtra hæc, cõmuniſque ſententia ſatis hucuſque expoſitis rationibus oſtendatur; vlteriùs tamen eam confirmauerim: tum quia

certum omnino eſt, illam matrimonio plurimũ ſuffragari, dum Eccleſiæ dumtaxat illud ſubijcit, faueque & ipſius Eccleſiæ iuriſdictioni, dum Sacramentorum, omniumque ad ea pertinentium diſpoſitionem Eccleſiaſticæ ſolum tribuit poteſtati: quo ſanè nomine, etſi cetera deeſſent, proculdubio amplectenda foret. Tum quia aduerſans opinio plura inuehit, quæ abſurda cenſeri debent.

68 Vult enim primùm, coniugij contractum, quippe humanum, ciuilemque, Eccleſiæ quoque ſubijci poteſtati. quæ tamen ratio ita nudè ſumpta potiùs contrariam infert conſecutionem: cõtractus enim ciuiles, quippe temporales, poteſtati Principũ politicæ ſubijciuntur; ad quos temporalium adminiſtratio ſpectat, ſicuti ſpiritualium diſpoſitio ad Pontificem Summum: idem enim mediator Dei, & hominũ homo Chriſtus Ieſus, ſic actibus proprijs, dignitatibuſque diſtinctis officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit, vt & Chriſtiani Imperatores pro ęterna vita Pontificibus indigerent; & Pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus vterentur: atque ita poſt Euangelicam legem vltrà ſibi nec Imperator iura Pontificis arripit, nec Pontifex nomen, aut iura Imperatoris vſurpat, vt benè aiebat *Nicolaus Papa* 1. *in epiſt. ad Michaelem* I*mperat. relatus in cap. quoniam, diſt.* 10. *cap. cũ ad verum, diſt.* 96. Hæc quoque dignitatum, ac poteſtatum diſtinctio à Domino facta dignoſcitur: ipſe enim duo hæc luminaria condidit in Eccleſię firma-

mamento, luminare quidem maius, putà Pontificalem dignitatem, vt diebus, ideſt ſpiritualibus præeſſet; & luminare minus, regalem videlicet poteſtatem, vt noctibus, nimirum carnalibus, ſeu tẽporalibus præficeretur, vti concinnè aiebat Innocentius Papa Tertius relatus in *cap. ſolitæ, de maior. & obed.* Certè, quemadmodum ordo in naturalibus rebus, rectæ vniuerſi orbis gubernationi neceſſarius, penitus inuerteretur, ſi Luna diebus, Sol noctibus, vel hiſce ſimul, ac diebus præeſſe vellet; ita in moralibus rebus idem contingeret, ſi Imperator Pontificis iura, vel contra vſurparet. quod ſanè eueniret, ſi ciuilis coniugij contractus, qui temporalis eſt, vti aduerſarijs placet, Pontificis poteſtati ſubderetur. Vndè rectè *Bernardus* Eugenium Papam alloquens *lib. 1. de conſider. habent hæc infima*, inquit, *& terrena iudices ſuos Reges, & Principes terræ: Quid fines alienos inuaditis? quid falcem veſtram in alienam meſſem extenditis?*

69 At, inquiunt, id exigit Sacramenti ratio, ordinatioque ad ſpiritale bonum animarum, quæ contractum illum inſeparabiliter comitatur: Sacramentorum vero diſpoſitio ad Eccleſiam ſpectat, dedecetque, vt ad politicos Principes attineat. At id quidem rectè, inquam ego; ſed addo hoc idẽ argumentum planè demonſtrare, eiuſcemodi contractum, ad ſacrorum rerum ordinem à Chriſto Domino euectum, extrà Principum iuriſdictionis limites reperiri, proindeque ad illius poteſtatẽ pertine-

tinere non poſſe: id vero hunc ferme in modum vlterius explicatur. Hæc Sacramenti ratio, præfataq; ordinatio, vel contractui, de quo agimus, alioquin tẽporali, ſpiritualitatem, vt ita loquar, tribuit, vel eã nullatenus impertitur: ſi primum eligas; ad ſolam Eccleſiam de eo, quippe ſpiritali, diſponere pertinebit: ſi ſecundum ſeligere velis; ad politicum dũtaxat Principem eius, quippe temporalis, diſpoſitio attinere debet, tum ob expoſitam modo rationem, quæ harum poteſtatum diſtinctioni ex temporali, ac ſpiritali obiecto deſumptæ, firmiſsimè innititur; tum quia iuriſdictio dominio ſimillima eſt, proindeque, ſicuti illud vno, eodemque tempore apud duos integraliter, vt aiunt, eſſe non poteſt, *l. ſi vt certo. §. duobus vehiculum, ff. commod. ibique ſcrib.* ita neque iuriſdictio eodem tempore integraliter, & in totum apud duos eſſe vllatenus poteſt, *vti rectè poſt Bart. Bald. ac reliquos in l. qui furere. ff. de ſtat. hom. Curt. conſ. 57. Corn. 189. lib. 2. Crauet. 411. lib. 3. Felin. in cap. cum ex officij, num. 21. de præſcript. arguit Menoch. conſ. 1156. num. 50. lib.* 12. vbi ait alioquin ſequi, eumdem hominem duobus capitibus ſubeſſe, quod abſurdiſsimum eſt, vti etiam *Sotus* 4. *diſt.* 4. *quæſt. vn. art.* 5. arguebat. Idque etiam eſt, quod *Bellarminus lib. 1. cap. 21. verſ. Reſpondeo ſi matrimonium, in fin.* de re noſtra loquens aiebat, eamdem videlicet poteſtatem ad duo diuerſa tribunalia æquè immediatè, & propriè pertinere non poſſe.

70 Neque dicas eam poteſtatem, qua de loqui-

quimur, cumulatiuè, vt aiunt, Papæ, ac Principi tributam, quod fieri incongruum non eſt, vti oſtendit idem *Menoch. de præſumpt. lib. 2. præſumpt. 18. num. 7. & 8.* Etenim cum eodem *Iacobo* reſpondeo, id verũ eſſe, quando duo ſunt iudices eiuſdem penitus ciuitatis, lociue, non vero cum ita diſtant, vti Imperator, & Pontifex, quorum ſanè iuriſdictiones omnimodè diſcriminantur. legique pro hac re poteſt non ſolum *Menoch. conſ. cit.* verum etiam *Crauet. dict. conſ. 411. num. 28. verſ. Iura enim, lib. 3.* Præterquam quod cumulatiua iuriſdictio aliquem habet ſuperiorem, qui illam communicet, eaque integraliter vtatur: id vero in ſummis hiſce Principibus Eccleſiaſtico, ac politico, neminem in terris ſuperiorem agnoſcentibus, contingere non poteſt; ſed eorum quiſque vi ſuæ poteſtatis abſque alterius dependentia eam integram iuriſdictionem obtineret.

71 Quod ſi denique dicas, habere Pontificem Summum indirectè temporalem poteſtatem, vti benè probat *Bellarm. tom. 1. lib. 5. de Rom. Pontif. per tot.* ipſique nonnulla tradidimus *lib. 1. reſp. Miſcell. reſp. 24. à num. 14.* Tunc equidem aio, id verum eſſe, ſed aduerſarijs nihil penitus ſuffragari; primum quidem, quia iura omnia, Doctoreſque Pontifici eã tribuunt iuriſdictionem, non vi huiuſce indirectæ temporalis, ſed vi ſpiritualis poteſtatis, eo quod cõiugij contractus inter fideles initus Sacramentum eſt, ordinatuſque proximè ad ſpiritalem animarum ſalutem, ſpiritaleque fidelium bonum. Deindè indirecta

recta hæc temporalis Pontificis poteſtas in cōdendis legibus tunc obtinet locum ex ſententia Catholicorum, ac præſertim *Bellarmini loco cit. cap. 6. verſ. Quantum ad leges*, cum ciuilis aliqua lex ad animarũ ſalutem neceſſaria eſt, Princeps tamen politicus eã condere nolit; aut ſi alia eidem animarum ſaluti noxia dignoſcatur, Princeps tamen eam abrogare nō velit: tunc enim & nouam Pontifex ferre, & veterem antiquare penitus poteſt: ſi vero nullum horũ Princeps à Pontifice requiſitus exequi detrectet; tum quidem Papa vt Papa ciuilem legem ſtatuere, confirmare, vel infirmare Principum leges iure minimè poteſt: neque enim ipſe, vt talis eſt, ordinariè hæc efficere poteſt, vt ibidem *Robertus* animaduertit; ſed veluti obiter, & vti *Sanctus Bernardus* loco antea laudato loquitur, incidenter: *Sed aliud eſt*, inquit, *incidenter excurrere in iſta; aliud vero incumbere iſtis, tanquam dignis tali, & talium intentione rebus*. At vero Eccleſia in re, qua de agimus, non quidem incidenter, ſed ei maximè incumbens, leges circa matrimonia ſanciuit, neque priùs ſeculares Principes requirens, ſed vtens proindè ſua, nō temporali illa, ſed ſpirituali, & Eccleſiaſtica poteſtate: atque ideo non ſolum poſt canones, quos antea *num. 65.* laudauimus, quibus aduerſæ ſententiæ patroni probãt, eã ſibi facultatem Eccleſiam reſeruaſſe; ſed ante quoque id temporis, & ab ipſomet eiuſdem Eccleſiæ naſcentis exordio, leges circa matrimonia Pontifices iure ſuo cōſtituerunt. quod ſi id quandoque Impe-

pe-

Digitized by Google

peratores præſtitère, veluti Theodoſius; id certè exequuti ſunt, Romano approbante, aut permittẽte Pontifice, abſque cuius approbatione eæ prorſus irritæ cenſebantur, vt rectè *Bellarm. loc. cit. cap. 32. verſ. Argumenta duo*, animaduertit. Non igitur ob reſeruationem, aut temporalem poteſtatem, ſed vi ſuæ poteſtatis ſpiritalis in hiſce condendis legibus eo iure Eccleſia ſemper vſa eſt. Et certè, cur Eccleſia eam ſibi facultatem merè temporalem reſeruaret, auferretque Principibus, ſi hi ſtatuere huiuſcemodi leges minimè detrectabant? Hæc profectò reſeruatio facta abſque Principum inobedientia apertè innuit, eam facultatem ſpiritualem eſſe, proindeque eis minimè competere vi ſuæ temporalis poteſtatis, atque ob hanc cauſam, non ob inobediẽtiam, eis à Pontificibus auferri, vti certè fieri deberet, ſi temporalis cenſenda eſſet, ſicuti iam explicatum eſt. idque etiam eadem iura id reſeruantia ſignificant, quippe quæ ſatis apertè innuunt, non id de nouo ſtatui, ſed abundè decerni, quod antea, exigẽte ipſarum rerum natura, ſeruari oportebat. Id quod prẹſertim elicitur ex *cap. tuam de ord. iudic.* ibi enim non id de integro ſtabiliri videtur; ſed potius ponitur vti prudentibus notum; proindeque Francorũ Regis prudentiam Pontifex non latere præſumit: quilibet enim prudens id facili negotio cognoſcere poteſt, qui rationis vſu pollens res ſacras politicæ iuriſdictioni ſubdi non poſſe clariſsimè animaduertit. Idemque fermè in alijs iuribus innuitur. Ea

igitur ſententia concedere cogitur, vel inuita, Eccleſiam poteſtatem, qua de loquimur, ſibi iniuria vſurpaſſe: quod ſanè abſurdiſsimum eſt; taleque ab omnibus Catholicis cenſeri debet. Quod quidem abſurdum non modo vim obtinet contra eius ſententiæ patronos, qui volunt, Eccleſiam ita hodiè eã habere poteſtatem, vt eam ipſam politicis Principibus abſtulerit; verum etiam contra Francos robur, nec minimum habet: quamuis enim ipſi velint, contra communem omnium opinionem, de facto ſeculi Principes eam habere poteſtatem; non tamen abnegãt, vti opinor, eam quoque Eccleſiam, eiuſque caput Romanum Pontificem obtinere: quam tamen planè vſurpaſſet, ſi verum aduerſariorum placitum foret, vti iam explicatum eſt.

72 Præterea & aliud, nec minoris ponderis, abſurdum inuoluit eadem ſententia, ac primum illud Gallorum argumentum: ita enim contra vtroſque argui licet. Si Chriſtiani Principes hodiè eam obtinent poteſtatem, vti Gallis placet; vel ſi de facto non obtinent, id ſolum accidit ob Eccleſię prohibitionem, vti volunt primæ illius ſententiæ defenſores; poterunt ſane infideles Principes fideliũ ſibi ſubditorum coniugia irrita reddere, inualidaq; impedimentis dirimentibus ſua lege conſtitutis: id enim probat aduerſariorum argumentum, vt patet; ac præterea, quia infideles Principes, ſeu nõ baptizati, Eccleſiaſticis conſtitutionibus, hanc ſibi reſeruantibus poteſtatem, nullatenus arctantur, vti omnes

nes prorſus Doctores probant ex *cap. gaudemus, de diuort.*

73 Hæc verò conſecutio, quòd ſcilicet infideles Principes irrita reddere queant ſubditorum fidelium coniugia, proindeque de Sacramentis diſponere, mihi placere nullatenus poteſt. quidquid dixerit *Sanchez*, laudato nemine, *diſput. 3. lib. 7. num. 7.* id ſecurè edocens: quod ratio Sacramenti, inquit, ſuperaddita matrimonio fidelium, non impedit in Principibus poteſtatem impedimenta dirimentia ſtatuendi; ſed ſola Pōtificis reſeruatio, quæ ad Principes infideles extendi nequit. Cuius quidem argumenti virtus, ſi vera foret, illud omnino conuelleret, quod auctor iſte ſemel, atque iterum edocuerat, puta reſeruationis, de qua loquimur, rationem, quæ mouit Pontificem, extitiſſe, quòd fidelium coniugium hodiè naturæ limites excedit, & ad eſſe Sacramenti ſupernaturale euectum reperitur: vndè dedecuit, vt tanti Sacramenti diſpoſitio ad ſeculares Principes pertineret. Et ob contrariam ſanè rationem *num. 5. & 8.* eiuſdem diſputationis, edocuit, infideles Principes poſſe hodiè leges ſuis ſubditis infidelibus indicere, quibus quædam matrimonia, iuſta cauſa exigente, interdicant, ac dirimant; maximè quia ceſſat, inquit, in ipſorum matrimonijs ratio reſeruationis, cum Sacramenta minimè ſint. Videat *Sanchez*, quonam modo iſtæc omnia inter ſe conuenire queant: ſi enim Sacramenti ratio fideliū cōiugio ſuperaddita nihil omnino impedit in infide

 li-

libus Principibus poteſtatē impedimēta dirimentia ſtatuēdi; cur quæſo in Chriſtianis Principibus, qui maiori quidē fauore proſequēdi forent, in cauſa eſſe debet, vt ea reſeruatio fiat, quo eiuſcemodi poteſtas in illis penitus impediatur? Si dedecet ad ſeculares Principes, fideleſque eam Sacramenti diſpoſitionē pertinere; quarè eam ad infideles Principes ſpectare conueniens erit? Si ideo in infidelibus ceſſat reſeruationis ratio, quia eorum coniugia Sacramenta minimè exiſtunt; cur certè poſtea hæc eadem Sacramenti ratio omnino contemnitur? Quod fidelibus Principibus ob Sacramenti reuerentiam denegandum *Sancius* putat; id infidelibus facillimè concedit. At equidem ei hac in rè aſſentiri nullatenus poſſum, tum ob ea, quæ modo annotauimus; tum quia omnes fermè Doctores, quos ille *num*. 5. *citati* recenſet, expræſſam faciunt mentionem de infidelium coniugijs, pro certo, vti ego opinor, ſupponentes, fidelium matrimonia infidelibus Principibus ſubiectorum ijſdem Principibus nullo modo ſubeſſe: quod ego certiſsimum puto. quam ob rem; cum ea conſecutio admitti non poſsit, ſanè neque id, vnde ea ſequitur, admitti debet.

74 Iam vero neque vlla prorſus ratio eſt, quæ hoc primum aduerſariorum argumentum, primamvè eorum auctorum opinionem vllatenus firmet. Quod enim primùm aiunt, id oſtēdere eaſdem omnino rationes, quibus Catholici Doctores probāt, potuiſſe Eccleſiam clandeſtina matrimonia irrita-

red-

reddere, nulliuſque momenti putà *in Concilio Trident. Seſſ. 24. cap. 1. de matrim.* Id, inquam, mihi verũ nullatenus videtur: eæ enim omnes rationes, apertè ni fallor, oſtendunt, ſoli Eccleſiæ, non item ſecularibus Principibus eam competere poteſtatem. Id autem planum fiet, ſi earũ vi, rectè perpendatur. Probant enim Catholici quidã, potuiſſe Eccleſiam ea matrimonia facere irrita, directè irritando contractum; primùm, quia fidelium matrimonium contractus eſt, quò vnus fidelis ordinatur ad alterum in bonum ſpirituale totius Eccleſiæ. atqui, inquã ego, quæ ad ſpirituale Eccleſiæ bonum diriguntur, ad ipſius tantum diſpoſitionem pertinere queunt. Secundo illud oſtendunt, exemplo profeſsionis factę ante nouitiatus annũ, vel ante 16. expletum, & ſimoniace benificiorũ cõmutationis, quas Eccleſia irritas fecit. At, dicã ego, iſtæc, vti ſpiritalia ad ipſius quoque Eccleſiæ iuriſdictionem pertinent. Tertiò illud probant exemplo ciuilis reipublicæ, cui facultas eſt reddendi omnino irritos ciuiles contractus, vt re ipſa præſtitit in minorum contractibus abſque curatorum auctoritate initis, ac primigeniorum, ſeu maioratuum alienatione. Sed hæc quoque ratio apertè ſupponit, fidelium coniugium ad Eccleſiæ pertinere iuriſdictionem, proindeque ad politicum Principem ſpectare non poſſe, niſi cum conſenſu, inquit *Bellarm. dict. lib. 1. de matrim. cap. 21. verſ. reſpondeo ſi matrimonium, &* ſub ordinatione ad Prinipẽ Eccleſiaſticum: non enim eadem poteſtas ad duo diuerſa tribunalia æquè, pertinere poteſt.

Digitized by Google

75 Item alij probant, illud idem Eccleſiã indirectè potuiſſe exequi, inhabilitando perſonas, quia in ijs, quæ ad ſpirituale ſpectant Eccleſiæ bonum, quale eſt matrimonium, fideles, tamquã eius mẽbra, illi ſubduntur. quando igitur ſpirituali Eccleſiæ bono expedit, eos ad certum ineundi matrimonij modum inhabiles reddere poteſt. Quę ſanè ratio apertè etiam probat, matrimonij contractum ad Eccleſiam dumtaxat pertinere, in cuius ſpirituale bonum ordinatur.

76 Hanc eamdem rationem illi confirmant, quia ſicut, inquiũt, in naturali corpore membra vniuerſa influxum, vt operationes exerceant, à capite recipiunt: ſic in myſtico Eccleſiæ, membra debent recipere influxum moralẽ ad cõtractus ineũdos ſpectantes ad bonum Eccleſiæ ſpirituale, qualis eſt matrimonium, ac proinde, ſicut membra naturalia ſine influxu naturalis capitis incapacia ſunt naturalium operationum; ita abſque capitis moralis influxu fideles inhabiles erunt ad matrimonium ineundum. Hæc ſanè confirmatio probat Eccleſiã, ſiue eius caput Pontificem Summum tribuere fidelibus influxum neceſſarium, ac ſufficientem ad cõiugium cõtrahendum, proindeque alterius, puta ſecularis Principis, velut alterius capitis, influxum nõ exigi, cuius ideo defectus nihil coniugij valori detrahere poteſt; cum præſertim influxus iſte ad rem in ſpirituale Eccleſiæ bonum ordinatam exigatur.

77 Confirmãt iterum eamdem rationem exẽ-

plo

Digitized by Google

pſo ciuilis reipublicę, quæ nonnullos ad contrahē-dum abſque certis ſolemnitatibus inhabiles facit, veluti prodigos, minoreſque abſque tutorum, ſeu curatorum auctoritate; nec non & vxores abſque virorum licentia, veniavè. De quorum quidem cō-tractibus, aliorumque ſimilium integrum volumen edidit *Stepha. Lambertengus* cuius inſcriptio eſt, *Tractatus de contract. eorum, quibus ſine certa ſolemnitate contrahere permiſſum non eſt*, & plura etiam tradidit *Tiraq. tract. de legib. connub. præſertim, gloſ. 6. 7. & 8.* vbi bene explicat, quonam modo horum conſenſus in hiſce contractibus requiratur; num ſcilicet ad integrandam, vt aiunt, & legitimandam perſonam illius, qui actum ipſum facit, vt propterea ad formā, ac ſolemnitatē pertineat, vimque auctoritatis obtineat; an vero non aliam ob cauſam exigatur, niſi quia actus priuatim tangit commodum, vel incō-modum eius, qui conſentire debet; ac proinde non exigi ad ſolemnitatem: etſi de cetero vtrouis modo requiratur, eius defectus actum inualidum, ſeu ineſ-ficacem penitus reddat, vt inibi vberius *Andræas* ex-poſuit, ac *Lambertengus tract. cit. gloſ. 7.* Ex hoc igitur ciuilis reipublicæ exemplo inferunt, potuiſſe quoque Eccleſiaſticam id exequi in connubijs ineū-dis. ſicut enim, inquiunt, homo ordinatur ad bonū reipublicæ, cuius eſt membrum, eique ſubordinatur quoad contractus ciuiles, ita ſubordinatur Eccleſiæ, cuius eſt membrum myſticum, quoad contractus ad bonum ſpirituale ſpectantes. Quæ ſane

illatio,

illatio,ratioque,cui innititur,aperte etiam probat, ad Eccleſiam ſolum coniugiorum pertinere diſpoſitionem, cum ei tantum contractus ad ſpirituale bonum attinentes ſubijciãtur. Certe hæc confirmatio,ratioque antea relata,cum exemplo ciuilis reipublicæ innitantur,quoad ipſam met rempublicam ciuilem,eiuſque Principem,qui eſt eius caput, nihil prorſus in re, qua de agimus,cõuincere poteſt: neque enim eadem reſp. ſui ipſius exemplum, ſeu ſibimetipſi exemplo eſſe vllatenus poteſt.

78 Sed dices ex hac eadem poteſtate, quam in ijs contractibus obtinet ciuilis reſpublica,colligi,inferrique,poſſe,eamdem,ſimilemve ei competere in connubij contractu; cum præſertim ex eo non tantum animarum ſalus, bonumque Eccleſiæ ſpirituale,ſed etiam pax, & concordia temporalis non modicum pendeat. Sed ipſi iam antea,*num.* 38. admonuimus,hunc arguendi modum admitti non poſſe,neque quoad ipſius Eccleſiæ hac in re poteſtatem obfirmandam,ne inde etiam poſtmodũ cõtra Catholicam veritatem inferatur,eam poſſe fidelium coniugia rata, ac conſumãta omnino dirimere,vt *dict.num.* 38.explicatum eſt. Deinde huic fermè argumẽto reſpondit doctiſsimus *Cardinalis Bellarm.dict.lib.* 1.*cap.* 21.*cit.verſ. Reſpondeo ſi matrimonium*,vbi:ſi matrimonium,inquit,eſſet ſolum contractus ciuilis, poſſent ſine dubio politici Principes impedimenta conſtituere, perſonas legitimas, vel illegitimas efficiendo,ſicut etiam fecerunt ſæpè

Im-

Digitized by Google

Imperatores, præſertim ethnici, vt patet, *ff. de Ritu nuptiarum, & C. ad l. Iuliam. de adult.* vbi ſunt multæ leges de contractu matrimonij; tamen, quia nũc apud Chriſtianos matrimonium eſt Sacramentum, & ex contractu illo ciuili Sacramentum Eccleſiæ pendet, & Sacramentorũ diſpenſatio ad Eccleſiam pertinet, ideo poteſtas impedimenta matrimonij conſtituendi maximè propriè ad Principem Eccleſiaſticum pertinet: ad politicum autem non pertinet, niſi cũ cõſenſu, & ſubordinatione ad Principẽ Eccleſiaſticum. tumque ſubdit, quod antea ipſi annotauimus, putà eãdem poteſtatem ad duo diuerſa tribunalia æquè immediate, ac propriè pertinere non poſſe. Atque ita *S. Thomas in 4. diſt. 34. q. vnic. art. 1. ad* 4. quamuis conceſſerit, inquit *Rober.* matrimonium, vt eſt ciuilis contractus, pendere poſſe à lege ciuili (quem locum pro ſe *Sanctus* citat: idemque repetitur à Collectore *ſuppl. 3. part. quæſt. 50. art. 1. ad* 4.) tamen *diſt. 42. q. 2. art. 2. ad* 4. id ita explicat, vt locũ habeat lex ciuilis, ſi auctoritas etiam acceſſerit Eccleſiæ: *Prohibitio*, inquit, *legis humanæ non ſufficeret ad impedimentum matrimonij, niſi interueniret auctoritas Eccleſiæ, quæ idem etiam interdicit.* Niſi etiam, & fortaſsis non abſque ratione, dicere velis, nomine ciuilis legis SanctumDoctorem non ius Cæſarum intelligere, ſed poſitiuum, Eccleſiæ videlicet; quia in contrario argumento non ciuilem, ſed humanam legem vocat, & *in reſp. ad illud propè finem*, ius poſitiuum appellat. innuitque de eo

loqui,quod talia impedimenta decreuit, cuiuſmodi ſolum eſt Eccleſiaſticum poſitiuum. Vbi obiter monuerim, *Bellarminum* non ex Pontificis reſeruatione, ſed ex ipſamet matrimonij natura, quam illud hodiè obtinet ex Chriſti Domini inſtitutione, ſi à fidelibus contrahatur,eam poteſtatem Principibus denegare:quam ob rem nō benè illum vti ſuæ ſententię patronum *Sancius* laudat,ac ſi *Cardinalis eod. lib.1.c.32.ad finem*,edoceret, poſſe Principem Politicum vi,ac natura ſuæ poteſtatis de impedimentis,fidelium matrimonia dirimētibus,ferre legem, cum tamen inibi expræſsè addat, id verum fore, ſi Pontificis Summi approbatio,& cōſenſus accedat: nec vllibi,quod ego viderim, docet,id Principibus ob reſeruationē dumtaxat Pontificis non licere.

79 Denique illam rationem Doctores confirmant,quia Eccleſia matrimonium inter conſanguineos,cognatos,& affines,irritū fecit,inhabilitādo videlicet perſonas,*vt conſtat ex tot.tit.de conſang. & affin.& tot.tit.de cogn.ſpirit.* erraſſet autem in re ad fidem,& mores Eccleſiæ pertinente, niſi id efficere potuiſſet. Atque hæc quoque ratio nihil penitus,quoad ſeculares Principes, euincit, cum hi nihil prorſus determinent,quod ad fidem, moreſque Eccleſiæ ſpectent,errentque paſsim, nedum errare queunt. Concludendum igitur eſt, omnes prorſus haſce rationes apertè probare,vel ſaltem ſupponere,coniugij contractum, quippè ad ſpirituale Eccleſiæ bonum ordinatum,atque capitis Eccleſiæ influxu:

fluxu indigentem, ad ipſam Eccleſiam ſolummodo pertinere; proindeque nihil penitus illas euincere quoad politicum Principem, vti iam ſatis explicatum eſt.

80 Quo autem modo illud Eccleſia exequi queat, explicuit *Sanch. dict. diſput. 4. lib. 3. Baſil. de matrim. lib. 5. cap. 4. & Bellarm. dict. lib. 1. cap. 21. cit. verſ. Deindè probatur*, generalem, atque optimam doctrinam tradidit, qua id, aliaque huiuſcemodi cõmodiſsimè explicari poſsint: ait enim, illegitimas facere perſonas ad matrimonium, non eſſe mutare Sacramenti eſſentiam, ſed ratum, vel irritum facere contractum humanum, qui in Sacramento matrimonij præréquiritur. Non enim, inquit, Chriſtus declarauit, quis contractus humanus ſit habendus legitimus, quis illegitimus, ſed, ea declaratione præ ſuppoſita, voluit cõtractũ humanũ legitimũ inter virũ, & feminam, Sacramentũ eſſe, ſi ſcilicet, addiderim ego, inter fideles contrahatur: quis autem cenſeat, huiuſcemodi declarationem Principibus etiã infidelibus, fuiſſe cõmiſſam, non vero ſoli Eccleſiæ, eiuſque capiti Pontifici Summo, cũ innumera penè ſint Sacrarum literarum loca, ex quibus diſcimus, ait *Bellarminus*, curam Eccleſiæ, gubernandæ ſolis Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus fuiſſe commiſſam, *Luc. 10. qui vos audit, me audit Matth. 16. Tibi dabo claues Regni Cælorum*, Ioann. *vlt. paſce oues meas*: ad curam vero iſtam pertineat ſtatuere, quiſnam coniugij contractus ſit legitimus, vel illegiti-

mus ad Sacramentum conſtituendũ, quod ab eiuſcemodi contractu vnicè dependet? Certè inconueniens eſſet, vt alicubi contractus aliquis Sacramentum foret, alibi ille idem Sacramentum eſſe nõ poſſet; atque adeo quòd quandoque illæ duæ poteſtates ſibi inuicem contradicerent: quod in perniciem Eccleſiæ vergeret, vt aiebat *Sot. in 4. diſt. 4. q. vnic. art. 5. verſ. ſed ſciſcitaberis in fin.* Id verò plane contingeret, ſi quilibet Princeps eam declarandi, ſeu ſtatuendi facultatem obtineret, non verò Eccleſia dũtaxat, quæ hac in re generales prorſus leges, totique Chriſtianorum vniuerſitati communes ſtabilire poteſt, etſi per accidens alicubi non admittantur: ſed verè, cum hunc coniugij contractum ad rerum Sacrarum ordinem Chriſtus Dominus euexit, illũ Eccleſiæ iuriſdictioni, quippe rem ſacram, ita ſubiecit, vt à cuiuſcunque alterius Principis iuriſdictione penitus extraxerit, vt ſæpe antea monitum eſt.

81 Aiunt ſecundò aduerſarij pro tuenda ſua prima ratione, alijque primæ ſententiæ patroni, Regiam poteſtatem ad felicitatem, tranquillitatẽ, & bonũ reipublicæ tuenda fuiſſe potiſsimum inſtitutam, ideoque eius eſt, quod ad hunc finem obtinendum deſideratur, prouidere: quale eſt, ſubdunt, circa matrimonia ineunda ſancire contra mala leges, illa impediendo, & irritando: inde enim maximè pendent tranquillitas, & recta reipublicæ gubernatio. tum laudãt *S. Thom. in 4. diſt. 34. quæſt. vnic. art. 1. ad 4. & 4. contrà Gent. cap. 78.* vbi ait cõ-
iugij

iugij contractum ciuili legi ſubiacere. Hanc tamen eamdem aduerſariorum rationem *Bellarminus* præoccupauit, eique reſpondit, vt antea *num.* 78. annotauimus; qui etiam Sancti Thomæ loca conciliat, vt inibi quoque monitum eſt. Addi etiam poteſt id, quod ipſi *nu.* 14. præmonuimus, aientes, ad rectum reipublicæ regimen minimè fore neceſſarium, poſſe fideles Principes fidelium matrimonia facere irrita, nulliuſque momenti.

82 Aiunt tertiò, nihil prorſus officere Principis poteſtati, quòd hodiè coniugium ſit etiam Sacramentum: quia, inquiũt, eius materia eſt cõtractus ciuilis, qua ratione perindè poteſt illud ex cauſa iuſta irritare, ac ſi Sacramentum non eſſet, reddendo perſonas inhabiles ad contrahendum ſic illegitimum, & inualidum contractum: ſi enim nudam, ſubdunt, Sacramenti rationem attendamus, nec Pontifex circa illud diſponere poſſet, illud diſſoluens, eiuſque poteſtas ex ratione contractus humani, qui eſt materia huius Sacramenti, cõſurgit. Hæc vero poſtrema aduerſariorum ratiocinatio neque mihi placere poteſt: iam enim ſæpiſsimè annotauimus, iſtum connubij contractum, à fidelibus initũ, hodiè extra contractuũ ciuilium, ac naturalium rerum limites reperiri; proindè non amplius ad ſecularem iuriſdictionem vllatenus pertinere, ſed eſſe omnino rem ſacram, ac ſupernaturalem; (puta illũ, quem Eccleſia eſſe legitimum declararit) ideo dũtaxat ad Eccleſiam pertinentem, ac probandũ certè

tè illis foret, contractum hunc, de quo loquimur, ad politicam iuriſdictionem pertinere, nihil omnino refragante, quod ipſe ſit etiam Sacramentum; quod nuſiibi exequuntur, ac proinde apertè ſupponunt, quod præcipuè probare contendunt, & principiũ petunt: quod enim addunt, nudam Sacramenti rationem etiam Eccleſiæ eam adimere facultatẽ, generatim verum non eſt; etenim, quonam tandẽ modo id ipſa exequi queat, antea annotauimus: quæ tamen doctrina in politico Principe non obtinet locum, vt etiam probatum eſt: atque ideo haud apta aduerſariorum ratio cenſeri debet: ita enim ratiocinantur. Sacramenti ratio nihil officit Eccleſiæ, quo minus ea poteſtas eidem tribuatur: neque igitur ſeculari Principi obſiſtere debet. Cuius aſſumptum, ſi paululum, ſalua ipſius ſubſtantia, immutetur, cõtrariam penitus conſecutionem oſtendit: ita verò conficitur argumentum. Sacramenti ratio in cauſa eſt, cur matrimonij contractus ad Eccleſiã ſpectet: ad ipſam igitur ſolam, & ad alium neminem pertinere poteſt. quæ ſanè illatio euidens eſt: ſiquidem commune eſt inter Catholicos enunciatum, ad ſolã Eccleſiam ſpectare Sacramentorum diſpenſationẽ, ſeu diſpoſitionem, atque illorum omnium, quæ ad ipſamet Sacramenta pertinere queunt; colligiturque ex Concil. Trident. ſeſſ. 21. c. 2. cuius inſcriptio eſt: *Eccleſiæ poteſtas circa diſpoſitionem Sacramenti Eucharistiæ*: vbi: *declarat*, inquit, *hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorum diſpenſatione*,

tione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire iudicaret: id autem Apoſtolus non obſcurè viſus eſt innuiſſe, cum ait, (puta. 1. Corinth. 4. & 2. Corinth. 6.) *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei: atque ipſum quidem hac poteſtate vſum eſſe, &c.* & infrà: *Quare agnoſcens Sancta Mater Eccleſia hanc ſuam in adminiſtratione Sacramentorum auctoritatem, &c.* Solis igitur Apoſtolis, eiuſque ſucceſſoribus hæc Sacramentorum diſpoſitio à Chriſto Domino cõmiſſa eſt, proindeque alijs omnibus denegari debet. Aſſumptum vero illud, ſeu noſtri enthymematis antecedens ijs omnibus oſtenditur, quæ ipſi antea perpendimus: cum enim contractus coniugij illud ſit, à quo matrimonij Sacramentum pendet; ad Eccleſiam verò Sacramentorum diſpoſitio ſpectet; conſequens eſt, vt eiuſmodi contractus ad ipſam hoc nomine, ſeu hanc ob rationem pertineat: nam de reliquo ſicuti omnes alij ciuiles contractus ad politicam iuriſdictionem attinent, ita & hic ad illam pertinere deberet, niſi Sacramenti ratio ab ea penitus extraxiſſet. Eccleſia enim ideo de alijs hiſce ciuilibus contractibus minimè diſponit, (niſi fortè rariſsimè, quò ſpiritali ſaluti conſulat) quod ſcilicet ad ipſam eorũ diſpoſitio non ſpectat, cum eorum nullus ad Sacramenta aliquatenus requiratur: at matrimonij contractus ad ipſam omnimodè ſpectat ob hoc ipſum,

quod

quod ex illis coniugia pendent. Diſplicet igitur nō iniuria huiuſcemodi argumentum ob hanc, quam expoſuimus rationem. quamobrem, & eius conſecutio omnino abneganda erit; cum euidens prorſus diſcrimen hac in re inter ſecularem Principem, atque Eccleſiaſticum perſpiciatur, & ipſamet Sacramenti ratio, quæ Eccleſiaſtico nihil hac in re officit, quin potius prodeſt, politico penitus aduerſatur, vti iam explicatum eſt.

83 Et ſanè, quò ea propoſitio de nuda Sacramenti ratione ita intelligatur, vt non ſolum nobis nihil officiat, ſed potius ſuffragetur; admonendum id arbitror, quod tradit *Sanchez dict. lib. 3. diſputat. 4.* puta in alijs Sacramentis, quorum materia res quæpiam naturalis exiſtit, vti in Baptiſmate, aqua, verum eſſe generatim, Eccleſiam variendarum formę, materieque nullam penitus obtinere poteſtatem: quod ſi de eo Sacramento loquamur, cuius materia, & forma eſt cōtractus humanus, ſubiacens Eccleſiæ poteſtati, fatendum eſt, ipſammet Eccleſiam non poſſe quidem eam formam, ac materiam variare propriè, ac formaliter, vt *Sanchez* loquitur; at poſſe materialiter, & remotè, puta declarando, ac ſtatuendo, hunc contractum eſſe legitimum, hunc vero illegitimum; vel determinando, quænam legitimæ perſonæ cenſeri debeant: id quod Chriſtus Dominus minimè declarauit, neque determinauit. & hoc quidem modo Eccleſia præparat materiam, & fundamentum matrimonij Sacramento, non autem

tem

Digitized by Google

tem eſſentialia matrimonij vllo modo mutat, aut mutare poteſt, vt *Bellarm. d. lib. 1. c. 5. in reſp. ad 13. arg.* ratiocinatur. Quis vero cenſeat, hanc materialem, ac remotam præfatarum formæ, ac materiæ variationem, ac præparationem, politicis Principibus, etiam Ethnicis, cōpetere, eiſque à Chriſto Domino id declarandi, ſtatuendique poteſtatem fuiſſe commiſſam, ſiue relictam, cum inde Sacramentum dependeat, quorum adminiſtratio ſolis Apoſtolis, eiuſque ſucceſſoribus commiſſa à Domino fuit? Et quis iterum arbitretur, etiam hodiè fidelium Ethnico Principi ſubiectorū connubia à Principis iniqui legibus depēdere, ita vt, ſi lis hac de re ſuboriatur (puta num talis matrimonij valori lex dirimens obſiſtat: quis enim, niſi ipſemet legis conditor id interpretari, ac decernere poteſt?) apud illius tribunal terminanda ſit? id quod mihi certè rationi abſonum videtur, cum *Apoſtolus 1. Corinth. 6.* Corinthios reprehendat, quod apud iniquos, infideleſque in iudicio contenderent.

84 Conueniens autem fuit, vt ea facultas variendarum formæ, materiæque huiuſce Sacramenti, materialiter ſcilicet, ac remotè, Eccleſiæ à Chriſto impertiretur; non item ceterorum Sacramentorum: etenim, quod ad hæc ſpectat, cum eorum materia res ſint naturales, quæ ſemper eædem permanent, neque ab hominū voluntate dependent, aut ex circūſtantijs immutantur, proindeq; ex his neq; malitiam ſumant, neque recipiant bonitatem; illa

certè poteſtas ſuperuacua penitus extitiſſet: at vero, quia coniugij contractus ex circunſtantijs temporis, loci, perſonarum, alijſq; ſimilibus malus reddi poterat, pluriumque malorũ fons, & origo, ideo maxime congruum fuit, vt Eccleſia poteſtatem obtineret declarandi, quiſnam legitimus, quis illegitimus eſſet, cenſerique deberet; quamuis de cetero indè materialis, remotaque materiæ, formæq; mutatio dimanaret; ideoque Dominus illud minimè determinarit, vti etiam innuit *Tapper. art. 20. & Baſil. lib. 1. cap. 7. n. 19.* quam quidem poteſtatem non rationibus purè naturalibus moti, ſed præſertim fidei lumine adiuti in Eccleſia reperiri Catholici cõfitemur: fidei enim dogmatibus edocemur, eam totam, præſertim in rebus ad fidem pertinentibus, errare non poſſe, planè verò errauiſſet, ſi nullam obtinens hac in re poteſtatem, id, quo de agimus, aliaque impedimenta, matrimonium dirimentia, decreuiſſet. atque hoc vnico argumento hanc in Eccleſia poteſtatem ipſemet *Sanch. diſp. 4. cit. n. 2. lib. 3.* probat, poſtquam doctiſsimos *Tapperum*, ac *Sotum*, id decidere nolentes retulit, & quadraginta quoque Epiſcopos, plureſque Doctores, qui ad Tridentinum Concilium confluxerunt, antequam res hæc definiretur, arbitrantes id Eccleſiam præſtare non poſſe. Idemque argumentum in ceteris impedimẽtis *Sancius* vſurpat, *ibidem num. 4. verſ. Tandem*, eoq; omnes alij paſsim vtuntur. Quod ſanè Catholicorum argumentum, quod attinet ad politicos Prin-

cipes,

pes,nihil penitus euincit, vt cuilibet manifeſtum eſt.

85 Quam ob rem equidem mirari ſatis non poſſum,quod doctiſsimus *Sanchez* tam facilè id politicis Principibus concedat, quod ideo præcipuè Eccleſiæ tribuimus,quòd ipſa de facto id præſtitit, ipſaque errare non poteſt;ac proindè hac in re ferme vnicè eiuſdem infallibili innitimur auctoritati, negaturi fortaſsis, niſi id illa de facto præſtitiſſet. adeo enim excelſa ſunt noſtræ legis Sacramenta, vt quicquid ad illa quoquo modo ſpectat,extra humanæ poteſtatis limites collocatum videatur, ac pręſertim id,de quo loquimur,quod ipſam Sacramenti formam,materiamque aliquatenus attingit. Cuius ſanè rei exemplum in alijs Sacramentis minimè animaduertere licet:etſi enim ſimile quidpiã in ijs cernere queamus,puta in exemplis à *Bellarm. dict. lib. 1. cap. 5. verſ. Simile eſt*,recenſitis, cum ſcilicet vinum deſinit eſſe Euchariſtiæ materia,hominũ opera in acetum immutatum,&c. id tamen plurimum ab eo differt,quod in matrimonij Sacramento perſpicimus:in ijs enim id,quod alioqui materia foret,vel non foret,hominum opera intrinſecè immutatur(quod certè fieri poteſt, cum res ſint naturales,quæ ex varijs diſpoſitionibus acquirunt nouam formam,vel veterem deperdunt) proindeque deſinit,incipitvè eam naturalem habere formã,quæ ex Chriſti inſtitutione in Euchariſtiæ materia exigitur,vel reijcitur:nequit vero homo,etſi Pontifex

ſit, efficere, quòd vinum manens intrinſecè vinum, neque vllatenus immutatum, eiuſmodi materia nõ exiſtat. Atqui in re noſtra idemmet conſenſus, intrinſecè nullatenus immutatus, qui antea ſufficiens erat ad matrimonij Sacramentũ, poſtea ad id ipſum inſufficiens redditur Eccleſię legibus, eius conditionis defectu, quam, ad vitanda plurima incõmoda, de integro determinat, fore in poſterum neceſſariam: cuius ſanè determinandæ poteſtatem Eccleſiæ tribui, vt prædixi, conuenientiſsimum fuit. Non tamen puto, eam ex alijs Sacramentis efficaciter colligi poſſe, vt patet ex modo à nobis allato diſcrimine, ex eoque, quod apertè in pœnitentię Sacramenti adminiſtratione cernitur, quo quidem exemplo hac in re nonnulli vti volunt, aientes inibi quoque Eccleſiam inualidum reddere Sacramẽtum, cum iuriſdictionem aufert, quam antea ſacerdoti tribuerat: etenim iuriſdictio iſtæc non humano tantũ, ſed in primis diuino iure, atque ex Chriſti inſtitutione valori pœnitentię requiritur, vti oſtendit *Valẽt. tom. 4. diſput. 7. q. 10. punct. 2. verſ. Quarto*, vbi id fide tenendum docet. quam obrem ea ſemper in Eccleſia ad Sacramenti valorem neceſſaria fuit, vt *Trident. ſeſſ. 14. cap. 7.* edocuit. At vero conditio illa, qua de agimus, talis minimè fuit, niſi poſt Eccleſiæ decretum; atque ita Pœnitentiæ miniſter legitimus nemo vnquam abſque ea iuriſdictione extitit, vti certè ante Eccleſiæ ſtatutum contrahentes matrimonium abſque ea ſo-

lemnitate extitêre. Atque ita exploſum remanet primum aduerſariorum fundamentum.

86 Minus item roboris obtinet ſecundũ, quod *num.* 5. receſſuimus: optimè enim finem ſibi propoſitum Reges attingere poterunt, quamuis eam poteſtatem minimè obtineant, vti antea *num.* 13. explicatum eſt.

87 Neque vero putandum eſt maius robur vllatenus eſſe tertio aduerſariorum argumento, quod *num.* 6. relatum eſt: inibi enim ipſi apertè paralogizant: ſiquidem verum quidem eſt, poſſe quandoque Principem, cum communi bono plurimũ expediret, aliquem ſibi ſubditum compellere, vt cuipiam nubat; ipſo tamen inuito matrimonium conſiſtere non poteſt, vt poſt plures *monuit Sanch. lib. 2. de matrim. diſp.* 27. vbi oſtendit, in republica Eccleſiaſtica, ac politica nullam inueniri poteſtatem coniungendi aliquos matrimonij nexu ſine ipſorum conſenſu: idque pro certo ſupponens *Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 9. omnes prorſus Principes excommunicat, ad matrimonium compellentes. Vide *Bellarm. lib. vn. cit. de matrim. cap.* 19. *verſ. fin.* Et adeo quidem neceſſarium nonnulli hac in re putant coniungendorum conſenſum, vt neque abſoluta Dei potentia eũ ſuppleri poſſe arbitrentur. Vide *Sanch. loc. cit. diſp.* 26. *Valent. tom.* 4. *diſp.* 10. *q.* 3. *punct.* 1. *Baſil. lib.* 2. *cap.* 3. Cogere ergo eo euentu poterit Princeps; ſed coniugium abſque coniungendorum conſenſu cõſiſte-

re

re nullatenus poteſt. Hinc vero non illud ſequitur, quod aduerſarij oſtendere obſtringuntur, puta poſſe Principem ita matrimonium prohibere, vt ſi id, prohibitione neglecta, contrahatur, inualidũ ſit; ſed potius contrarium infertur, nimirum fore validum, ſicuti contrà inane cenſetur, cogente Principe, cõtractum, vt contrariorum eadem ſit diſciplina. quã ob rem hoc aduerſariorum argumentum ad ſummũ illud dumtaxat oſtendit, poſſe videlicet ſeculi Principes, iuſta exigente cauſa, matrimonium quodpiã prohibere; non tamen decernere illud, ſi contrahatur, inualidum fore. quæ quidem illatio fortaſsis neque conſiſtere poteſt. ſed id nobis hoc loci examinandum non eſt; quibus certè ſufficit, quod validũ ſit coniugium, quamuis, prohibente Principe, contrahatur. Exempla vero, quæ inibi referuntur, iam ijs, quæ *num.* 11. & 40. explicata ſunt, facillimè intelliguntur matrimonij valori nihil penitus officere, cum ſimplex coniugij contrahendi prohibitio, ac parentum, ſiue ſuperiorum contradictio illud, ea penitus neglecta, initum, nequaquam irritum reddat, vti exemplis *dict. num.* 40. relatis liquido conſtat.

88 Denique, quæ aduerſarij *nu.* 7. proferunt, inania cenſeri debent ob ea videlicet, quæ ſuperius explicata ſunt, vbi eam cõſuetudinem ſatis impugnauimus. Solum hoc loci remanet examinandum, quod inibi de lege *Sallica* additum eſt: cuius equidẽ

vim

uiin nõ ſatis percipere poſſum:ac mecum ſentient, qui id ſciunt,quod lex illa decernit. Etenim, vt docet *Rebuff.in l.1.verſ.Eſt etiam,ff.de verb.ſignif.* hæc lex, quæ *lex Regni* nuncupari conſueuit, à Regni ſucceſsione feminas excludit;vbi, cur ita nominata ſit,non incongruè *Rebuffus* exponit. Nunc ergo ab aduerſarijs ſcire vellem, cur hęc lex parum foret duratura,ſi Francorum Regibus condendarum legum,de quibus loquimur, facultas omnino deeſſet:cur enim feminæ ad Regni ſucceſsionem admitti deberent,ſi vir ſuperſit, etſi contra Regis voluntatem matrimonio copulatus, qui in Regno ſuccedere queat, debeatque? Deindè cur politico Principi ea facultas tribuenda eſt,quò leges politicæ perſeuerent, cum de cetero, ſi hæ matrimonijs, liberè ineundis,impedimento ſint,tolerari non poſſint, atque omnino reuocandæ ſint: ſi vero matrimonijs nihil officiant,ab horum legibus dependere earum vis nullatenus queat? Quod ſi hæc incõmoda,quæ aduerſarijs cordi eſt euitare, nonniſi ferendis circa matrimonia legibus effugi queunt;iam ſuprà monuimus Regibus aditũ patere ad Põtificẽ Summũ,qui eas ſanciet leges, ſi viderit expedire.

Expoſui quam breuiſsimè potui meam ſententiam in re, quæ accuratiùs pertractata, iuſto volumine indigeret:ſed id non ſiuit inſtituti ſermonis ratio, qua alijs hortator ſolum præire volui, vt initio dicebam. Quæcunque autem in hac diſceptatio-

Digitized by Google

ptatione ſcripſimus, ea cuncta, non modo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, eiuſque Capitis Pōtificis Summi iudicio; verum etiam & doctorum virorum cenſuræ humillimè ſubijcimus. Si quid vero aptè in ea dictum eſt, id luminum Patri acceptum referendum erit: ſi quid ineptè, mihi tribuendum. Matriti Kalendis Nouembris 1635.

LAVS DEO.

Digitized by Google

Digitized by Google

Google